Serie Compendiorum Theologicorum continentur:

Encyclopaedia Theologi Christiani.

Hermeneutica Codicis Sacri. Edidit L. G. PAREAU, Gron. 1846.

Institutiones Historiae Ecclesiae Christianae, delineatae a P. HOFSTEDE DE GROOT, Gron. 1835. (Nunc iterum eduntur).

Initia Institutionis Christianae moralis. Edidit L. G. PAREAU, Gron. 1842.

Handboek van de practische Godgeleerdheid door W. MUURLING. (Nunc typis describitur).

Institutiones Theologiae naturalis. Edidit P. HOFSTEDE DE GROOT, ed. 3 Traj. ed. Rhen. 1845.

Dogmatica et Apologetica Christiana. Scripserunt L. G. PAREAU et P. HOFSTEDE DE GROOT, ed. 3 Gron. 1848.

SERIES

COMPENDIORUM THEOLOGICORUM

IN USUM

SCHOLARUM ACADEMICARUM.

COMPENDIUM

ENCYCLOPAEDIAE THEOLOGI CHRISTIANI.

SCRIPSERUNT

P. HOFSTEDE DE GROOT ET **L. G. PAREAU,**

THEOLOGIAE PROFESSORES IN ACADEMIA GRONINGANA.

GRONINGAE

Apud heredes C. M. VAN BOLHUIS HOITSEMA.

1851.

ENCYCLOPAEDIA
THEOLOGI CHRISTIANI.

IN SCHOLARUM SUARUM USUM
BREVITER DELINEATA,

A

P. HOFSTEDE DE GROOT

ET

L. G. PAREAU,

THEOLOGIAE PROFESSORIBUS IN ACADEMIA GRONINGANA.

Editio tertia, aucta et emendata.

GRONINGAE

Apud heredes C. M. VAN BOLHUIS HOITSEMA.

1851.

PRAEFATIO

EDITIONIS ALTERIUS.

Causa, cur hanc Encyclopaediam edamus, jam ipso nomine declaratur. Neque enim ignoramus, exstare multa ac praeclara pericula Encyclopaediae Theologiae Christianae, *id est vel doctrinae vel doctrinarum Theologicarum, ut vix opus sit iis novum addere periculum. Sed nondum exstat, quantum novimus, quod nos jam exhibemus, periculum Encyclopaediae* Theologi Christiani. *Quod cur addendum esse putaremus, quum omni* Introitu *pariter ac § 24 et 123 satis declarari videatur, id hîc exponere non opus est.*

Editio dicitur altera, quia prior jam anno 1840 typis erat mandata, sed in solorum discipulorum nostrorum usum, ita ut publici juris nondum esset.

Dabamus Groningae die 20 m. Septembris a. 1844.

PRAEFATIO

EDITIONIS TERTIAE.

Quamvis paucae sint §§, hac nova editione non emendatae vel et auctae, earum numerus tamen non crevit. Nam omnem libellum castigare potius, quam ampliare conati sumus Forma universa eadem mansit, nisi quod Introitum *editionum priorum nunc dixerimus* Encyclopaediam universam, *unde quae tunc erat Encyclopaedia ipsa, nunc est* Encyclopaedia specialis. *Transposuimus etiam §§ 83—86, ac 87—90, ita ut nunc prius agatur de cura pastorali, posterius de jure ecclesiastico.*

Dabamus Groningae die 30 m. Januarii a. 1851.

OPUSCULI CONSPECTUS.

PARS PRIOR.

ENCYCLOPAEDIA THEOLOGI CHRISTIANI UNIVERSA,

SIVE

DE THEOLOGI CHRISTIANI IN ECCLESIAE EMOLUMENTUM INSTITUTIONE.

PARS POSTERIOR.

ENCYCLOPAEDIA THEOLOGI CHRISTIANI SPECIALIS,

SIVE

QUIBUS DOCTRINIS ET QUANAM RATIONE HARUM OPE THEOLOGUS CHRISTIANUS SIT INSTITUENDUS.

CAPUT I.

DE HISTORICA JESU CHRISTI COGNITIONE.

SECTIO I.

DE NOVI FOEDERIS INTERPRETATIONE.

I. *Institutio praevia.*

Pag.

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat historia interpretationis Novi Foederis.*

B. *Quid doceat rei natura.*

SECTIO II.

DE HISTORIA ECCLESIAE.

I. *Institutio praevia.*

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat historia historiae Ecclesiae.*

B. *Quid doceat rei natura.*

CAPUT II.

DE JESU CHRISTI VITA IN THEOLOGO CHRISTIANO.

SECTIO I.

DE INSTITUTIONE MORALI.

I. *Institutio praevia.*

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat historia institutionis Christianae moralis.*

B. *Quid doceat rei natura.*

SECTIO II.

DE THEOLOGIA PRACTICA.

SECTIO II.

DE TOTIUS REI CHRISTIANAE COMMENDATIONE, SIVE DE APOLOGETICA.

I. *Institutio praevia.*

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat Apologetices historia.*

B. *Quid doceat rei natura.*

CONCLUSIO.

ENCYCLOPAEDIA
THEOLOGI CHRISTIANI.

PARS PRIOR.

ENCYCLOPAEDIA THEOLOGI CHRISTIANI UNIVERSA,

SIVE

DE THEOLOGI CHRISTIANI IN ECCLESIAE EMOLUMENTUM INSTITUTIONE.

§ 1.

Encyclopaediae Theologi Christiani idea generalis.

Encyclopaedia Theologi Christiani est expositio et conspectus institutionis, inprimis institutionis Academicae, qua ita informari debet Theologus, ut Ecclesiae Christianae saluti bene prospiciat. Haec autem Ecclesia est societas a Jesu Christo nomen et originem spiritumque habens. Quare jam, ante omnia reliqua, universe videbimus, quid sit Jesus Christus, quid haec Ecclesia, quid in ea Theologus, unde derivemus, quid hujus institutio ac quid Encyclopaedia Theologi Christiani.

Ejusmodi expositione et conspectu institutionis suae opus habent Theologiae studiosi. Nam ubi pueri instituun-

tur, sufficit, quod instituantur; ubi adulti, iique exculti, necesse est, ut hi cernant, quo consilio et qua ratione instituantur.

I. *Jesus Christus.*

§ 2.

Jesus Christus.

Nullam in historia generis humani invenimus rem, quae tanti est ponderis, quanti apparitio Jesu Christi; cujus si respicis vel personam perfectam, vel consilium sublime, vel vim in genere humano immutando nunc jam maximam in diesque etiam majorem, hic Jesus Christus cernitur fuisse talis tantusque, ut personam ejus perfectam nemo aequaverit, ejus consilii sublimitatem ante eum auguratus sit nemo, ejus unius in genere humano vim beneficam non assecuti sint reliqui homines magni ac benefici omnes simul sumti.

Liquet, nos maxime probare historiae generis humani distributionem *per Jesum Christum* in historiam antiquiorem et historiam recentiorem.

Qui in Historicis, recentiori tempore florentibus, est maximus, Joh. von Müller, narrat, se, quum orbis antiqui scriptores ad rectam historiae notitiam acquirendam versaret, improviso incidisse in Novum Foedus legendum, quod ipsi per multos annos jacuerat neglectum, atque se jam in religione Christiana invenisse »l'accomplissement de toutes les espérances, le point »de perfection de toute la philosophie, l'explication de »de toutes les révolutions, la clef de toutes les contra»dictions apparentes du monde physique et moral, la »vie et l'immortalité.' Vide Mülleri Epist. ad C. Bonnetum, dd. 27 Maji 1782 (in MÜLLER's *Werke*, T. XXXVII, p 12—18, et inde etiam in *Waarheid in Liefde*, 1843, IV, 903—918, inpr. p. 905). — Historici vero hujus testimonium argumentis probare h. l. non possumus, quia hîc Christologia tradi nequit.

II. *Ecclesia Christiana.*

§ 3.

Ecclesia Christiana.

Neque ante octodecim saecula modo inter hominis vixit Jesus Christus, sed etiam nunc in iis vivere pergit. Nam condere incepit, Apostolorum sodalitio instituendo, regnum Divinum sive Ecclesiam Christianam, quam Apostoli, praeconio Jesu Christi agendo, sive Euangelio annunciando, longissime propagarunt. Atque ipse Jesus, corpore jam diu absens, praesens esse nunquam, ne in densissimis quidem medii aevi tenebris, desivit spiritu, quo vivit in hac Ecclesia, cui ipse est caput, vis vitalis, spiritus.

Viva igitur societas est haec Ecclesia, constans hominibus ita conjunctis, ut constituant quasi corpus Jesu Christi, in quo ipse tanquam spiritus vivit. Quidquid vero vivit, sese etiam explicat. Ergo etsi primum modo pauci essent, qui se Christo adjungerent, horum numerus continuo increvit; atque etsi horum Christi amicorum animus spiritu mundi diu soleat etiam infici, hunc tamen, spiritu Christi excitando, continuo magis in se interimunt.

Cf. Jesu promissa et preces Joh. 14—17, Paulique descriptiones cum alibi, tum 1 Cor. 12 et Eph. 4. De hac Ecclesiâ Jesuque in eâ vitâ alia est aliorum Christianorum sententia. Vitam hanc Jesu in Ecclesià agnovit familia Romano-Catholica; sed sic, ut falso adderet, ideo Ecclesiam (repraesentantem) esse falli nesciam; quod additamentum vero sic rejecit Euangelicorum familia quaevis, ut nunc ipsius Jesu in Ecclesia vitam aut negaret aut saltem negligeret.

§ 4.

Ecclesiae socii.

Qui autem in tota sua vivit Ecclesia, Jesus Christus, idem in singulis quoque magis minusve vivit Ecclesiae hujus sociis. Sunt enim hi quasi corporis Jesu Christi

membra, quae omnia quum corporis totius vitae sint participia, ergo et Christiani singuli amoris, sanctitatis, sapientiae, vitae totius spiritualis Jesu Christi sunt participes.

In N. F. dicitur hoc, Christum εἶναι ἐν ἡμῖν, nos ἐν Χριστῷ; cf. Joh. 14: 11, 17: 21. Multi Theologi recte senserunt, in omnibus Christianis vitam debere vigere ipsius Christi, v. c. THOMAS à KEMPIS, qui libellum scripsit *De imitatione Jesu Christi*, quem libellum tota Ecclesia adoptavit; nemo tamen forte rem dilucidius exposuit quam ERASMUS, in *Enchiridio militis Christiani*, Opp. T. V, p. 1—66 ed. CLERICI. Cf. opusculi conspectum in *Waarheid in Liefde*, 1840, II, 373—387.

§ 5.

Horum vita qualis.

Haec ipsius Jesu Christi in Ecclesiae suae sociis vita non pertinet ad solam mentem solumve animum aut voluntatem actionemque solam. In Jesu Christo, inter homines degente et agente, quem nobis Euangelia pingunt, cernimus animum ac mentem et voluntatem tam aequabiliter excultam, ut actio et vita omnis, externa et interna, ei esset ab omni parte aeque perfecta. Jam vero eadem est vita, quam etiam nunc in hominibus se ipsi tradentibus suscitat, alit, excolit Jesus Christus, qua igitur non potest non complecti hominem omnem cum omnibus ejus facultatibus, ut hominem perficiat totum.

Jesus Christus tam aequabiliter erat excultus, ut (quod observat ULLMANN, *Ueber die Sündlosigkeit Jesu*) ne temperamentum quidem in eo cernatur, nisi sensu, quo Antiqui utebantur hac dictione.

§ 6.

Haec vita quomodo alenda.

Alenda est haec vita, ut vita omnis, primum per alios, deinde etiam per homines in se ipsos, quippe qui

vitae semina in se habent innata. Haec vero Jesu in homine vita quum omnem complecti debeat hominem cum omnibus ejus facultatibus, infans jam ad hujus vitae consuetudinem est ducendus; puer ad eam etiam amandam est informandus; juvenis ad eam quoque intelligendam est instituendus.

Magna in his omnibus efficiendis est vis cum institutionis maternae, tum usûs sacrae Scripturae; quod docent inde a Timotheo (2 Tim. 1: 5, 3: 15) exempla Patrum et Doctorum eximiorum multa. Cf. *Waarheid in Liefde*, 1849, II, p. 395 sqq.

Si quaeris, cur his tribus, consuetudine, amore, intelligentiâ, sit opus? Consuetudine, quia quo semel est imbutus recens, servabit hunc odorem hominis animus diu. Amore, quia vita Christiana maxime sita est in amore. Intelligentiâ, quia haec illustrat, conservat, auget amoris praxin.

Est in his duplex multorum error; aliorum, qui putant vitae hujus intelligentiam esse inprimis alendam, ac si, qui eam intelligant, eam quoque habeant; aliorum, qui existimant, vitae hujus amorem esse modo excitandum conservandumque, ac si, qui eam ament, eam quoque habeant perfecte. Priorum, Scholasticorum, error refutatur exemplo Judae, qui, etsi oculis cerneret et intellectu dignosceret Jesu vitam perfectam, eam tamen non amavit neque in se fovit; posteriorum, Mysticorum, exemplo Pauli, qui ideo ex Apostolis in praxi erat felicissimus et amplissimus, quia reliquis erat non modo fervidior, sed etiam intelligentior.

Aliter etiam alii sentiunt de quaestione, utra prius sit excolenda consuetudo et praxis, an intelligentia et theoria. Neque tamen hic dissensus erit inter homines, qui naturam nostram in pueris jam observarunt; quippe qui solâ praxi possunt et debent primum ad omnia duci bona, igiturque etiam ad vitam Christianam.

§ 7.
Per quosnam alenda.

Uti in corpore membrum alterum ab altero pendet alterique inservit, attamen alia sunt membri alîus munera aliaeque facultates: sic etiam in Ecclesia Christiana socius a socio pendet eique inservit, verum ita, ut alia sint alîus socii munera, quia aliae alii facultates.

Igitur in Ecclesia omnes socii, auctore Deo et moderatore Christo, instituunt quidem socios omnes, quique alio respectu sunt doctores, alio sunt discipuli; quum v. c. parentes non modo informent liberos, sed liberi quoque ad ipsos parentes instituendos haud parum faciant: at vel sic tamen in Ecclesia Christiana sunt nonnulli, qui virtute quadam magis eximia, qua gaudent (quales in artibus exercendis dicuntur *virtuosi*), aliorum sunt institutores. Sunt hi v. c. liberorum parentes, juniorum adultiores, discipulorum magistri, Ecclesiae sociorum vulgarium *Theologi*, qui Jesu Christi vitam in reliquis Christianis excitare, interpretari, purgare, alere debent.

Haec est temporum nostrorum felicitas, ut omnis institutionis universalis propositum magis magisque agnoscatur hoc esse, vitam Jesu Christi Divinam in hominibus excitare et alere. Id institutionis in scholis inferioribus dandae consilium praedicarunt v. c. Hergenröther, Graser, Brugsma, de Raadt. Ergo hi quoque institutores et parentes et omnes Christiani sunt sacerdotes; atque erras, si Theologos contempleris tanquam *sacerdotes*, Christianos reliquos tanquam *laïcos*. Potius comparare possis Theologos cum V. Foederis *Prophetis*. Cf. DE WETTE, *Opusc. Theol.* p. 169 sqq. Neque sane, quod clamant multi, opus est Theologis, qua auctoritatem tueantur et vim in homines reliquos exerceant, dignitate sacerdotali. Sint modo Theologi semper optimi et sapientissimi Christiani, ipsi Christo simillimi, neque deërit iis reverentia, auctoritas, vis.

Liquet, nos *Theologi* nomine uti sensu amplissimo, quo Ecclesiae Christianae antistites indicemus, non quia

nomen illud aptissimum est, sed quia aptius non est in usu. Caeterum quo diverso sensu haec ipsa vox *Theologus* sit sumta, indicat J. CLARISSE, *Encyclop. Theolog.* § 1 (1).

§ 8.

Quales hi esse debeant ipsi, qui vitam hanc in aliis possint alere.

Quum nemo dare quid possit, nisi quod habet ipse, neque vitam Christianam dare potest, nisi qui eam habet in se habetque abundanter. Ergo optimus Christianus esse debet, qui alios reddere vult Christianos bonos; optimus animo, voluntate, actione, mente.

Antiqui dicebant, neminem esse oratorem bonum, nisi qui sit vir bonus; quod idem valet etiam de politico, jureconsulto, medico, historico, musico, pictore; ergo inprimis de theologo, aliorum institutore. J. TH. FICHTE alicubi: »Ein gutes frommes Herz in seiner »Brust ist das eigentliche Genie des Geistlichen." PELT, *Theol. Encycl.* § 6: »Er soll besonders jene Unschuld »des Herzens haben, welche immer zuerst das Ideal »sieht, selbst noch bis in die Ausartungen hinein."

Ergo non faciendum cum iis, qui solum *extra se* operando in re Christiana aliis prodesse volunt; sed cum his, qui *in se* operando etiam extra se prodesse aliis conantur, et revera praestantius quid agunt. Simile quid inter Antiquos egit Socrates, qui, hominem in se semper informans, multos etiam extra se informavit homines. Cf. de hac duplici agendi methodo *extra se* et *intra se* ac de Socrate, *Het blijvende en eigenaardige in het Christendom door* STRAUSS *en* ULLMANN, *vert. door* W. VERWEIJ, bl. 17—27. Theologum vero Christianum esse optimum hunc, qui in se religionem Christianam receperit et foverit totam, exemplo suo maxime comprobavit Martinus Lutherus, qui in Europa recentiore ideo Theologus exstitit maximus, quia prius erat Christianus intimus. Quid? quod Jesus Christus non modo Apostolos, antequam eos emitteret, voluerit reddere

sanctos, sed etiam de se ipse profiteatur, Joh. 17: 19: Ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ.

Neque tamen haec sententia semper fuit recepta; nam inde a Conciliis Oecumenicis saeculi IV et V vulgo orthodoxiae sunt tributae partes primae, quae debentur vitae animi Christiani intimae; unde vel a. 1762 in Academia Leidensi non sine sui periculo cathedram adscendit EWALDUS HOLLEBEEK, quia oratio ejus inauguralis erat *de Theologo non vere orthodoxo, nisi vere pio.*

§ 9.

Discrimen inter hos.

Est tamen magnum inter hos, qui vitam hanc in aliis alunt, discrimen. Nam pertinet quidem haec vita ad hominem totum (§ 5), et primitus quidem ad animum; verum hinc duplici prodit directione, vel imprimis solâ practicâ, vel practicâ simul et theoreticâ. Prior directio magis adest in parentibus, qui maxime exemplo suo monitisque amore plenis liberos ad vitae Christianae consuetudinem et amorem adducunt. Posterior magis cernitur in doctoribus plerisque (hominibus διδακτικοῖς, quos Paulus in Ecclesia optabat, 1 Tim. 3: 2), qui non modo et non praecipue utuntur exemplo monitisque, sed, methodo etiam accuratâ ingenium excitando et historiae thesauros aperiundo, discipulos ad ejusdem vitae intelligentiam ducere student.

His non sufficit habere et ostendere vitam Christianam, sed etiam opus est insigni facultate communicandi, ut musicae alîusque cujusvis artis institutoribus.

Priorem directionem dicere possis *amorem in veritate*, posteriorem *veritatem in amore*. Cf. PAREAU, *Waarheid in Liefde*, 1837, I, 57: »*Liefde in waarheid* is »de gemoedelijke en werkdadige zijde des Christendoms. »Liefde door waarheid gewekt, veredeld en bestuurd, »huisvest in het harte en werkt het geheele Christelijke »leven uit." P. 58: »*Waarheid in liefde* is van het »Christendom de redelijke en beschouwende rigting.

»Waarheid in liefde te zoeken, te erkennen en te open-»baren, daartoe is het, dat in den Christen de rede »door gemoed en wil wordt gerigt en bestuurd."

Neque tamen haec ita intelligas, ac si vel quisquam omni careat theoriâ; hac destituta modo sunt bruta animalia, instinctu coeco ducta; homo vero simulac ratione utitur, etiam theoriam adhibet. — Caeterum in Deo solo theoria ac praxis quasi unam constituunt actionem; ad quem quo magis accedit homo, eo minus ei etiam utraque differt.

III. *Theologus Christianus.*

§ 10.

Quid sit Theologus Christianus.

Utraque illa directio adesse debet in Theologo Christiano. Nam fieri quidem potest, ut quis sit in praxi vitae Christianae excellentissimus, etsi theoriâ eruditâ omni careat; non item, ut quis in theoria excellat, qui praxeos est expers.

Quaerisne, cur hoc fieri nequeat? Haec est vitae Christianae in homine progressio. Oritur in animo, Christum amplectente; sed si haeret in solo animo, *non diu est sana;* fit mysticismus. In animo orta et vigens exinde agere debet in voluntatem et actionem adeoque quasi foras prodire in praxin, ut *sana* maneat et *efficax* reddatur vita. Praxis vero ex animi solius impetu recto pendens, nondum est vita Christiana *perfecta.* Haec demum adest, quando mens quoque id, quod sentit animus ac sequitur voluntas, intelligit esse rectum bonumque, adeoque animi vitam et voluntatis praxin clare perspicit, et, utpote sibi conscia sibique semper constans, utramque hanc, magnâ etiam rerum omnium humanarum scientiâ exculta, sapienter tueri et augere potest.

Recte se habet trita illa dictio, non scholae, sed vitae causa esse discendum. Sed quam necessaria sit Christiano cuivis et vero Theologo theoriae (sive gnoseos, uti ab antiqua Ecclesia dicebatur) cum vita animi Christiana

conjunctio, rite perspicietur ab eo, qui observaverit, Theologum sequi debere vitâ suâ exemplum Jesu Christi, quem sic pernosse, ut eum vel inaequabilibus sequaris passibus, quantae est operae! sequi debere Deum ipsum, quem ex operibus ipsius omnibus quis tandem pernoverit!

Ergo Theologus primo in se ipse habere debet Christianam animi vitam; porro praxin vere Christianam; denique theoriam vitae Christianae rerumque humanarum accuratam, promptam, facilem (gnosin).

Haec sic cohaerent cum § 6: animi vita primum nascitur consuetudine; mox alitur amore, praxin efficiente et purgante; denique tam illa vita quam haec praxis bene dirigitur, augetur, emendatur intelligentiâ.

Caeterum in Theologis quoque alii magis eminent inquisitione docta, alii magis praxi sancta, de quo discrimine universe diximus § 9.

§ 11.

Cur Theologis in Ecclesia Christiana sit opus.

Opus est in Christi Ecclesia Theologis, quia hi soli ab omni parte *perfectam* habere possunt in se vitam Christianam, ideoque soli Christianos, etiam parentes et magistros reliquos, omnes ad vitam vere Christianam ducere.

Nimirum in paucis rebus sufficit sola praxis; opus est in plerisque etiam theoriâ, quae praxin conservet, emendet, illustret, perficiat.

Hìc *Theologos* intelligimus non adeo, qui *munere* sunt Theologi, sive Ecclesiae docendae et regundae publice praefecti; verum omnes, qui *animo et mente* sunt Theologi, quales, munere Ecclesiastico non fungentes, Nederlandia protulit Hugonem Grotium, Hieron. van Alphen, de Perponcher, alios. At si vel tales sint in Ecclesia multi, tamen haec carere nequit Theologis, qui et munere sunt Theologi. Docet id historia non minus, quam rei natura. Sine his enim Quakeri conantur et Teleio-Baptistae conati sunt suam Ecclesiae familiam tueri; at

quonam successu? Qui successus quanto infelicior fuisset etiam, nisi vixissent hae familiae mediis in aliis, munere Theologico fruentibus? Nempe opus est societati cuivis hominibus, qui eam regant; opus est Ecclesiae viris, qui nullis aliis impediantur curis, quominus semper toti quanti provideant Ecclesiae; opus est Ecclesiae quasi *oculis*, Eph. 4: 11, 1 Cor. 12: 14—30. Quare nulla infeliciora erant Ecclesiae tempora et loca, quam ea omnia, quibus deërant Theologi pii et eruditi. Cf. L. HÜFFELL, *Ueber das Wesen und den Beruf des evangelisch-christlichen Geistlichen*, T. I, p. 38—43 ed. 2, p. 57—60 ed. 4; item HERDER, *An Prediger*, *Zwölf Provincialblätter*, in ipsius *Werke zur Religion und Theologie*, T. X.

§ 12.

Theologi munus.

Non hoc est Theologi munus, ut vel arte magica incantet, vel auctoritate sacerdotali jubeat, vel subtilitate philosopha erudiat Ecclesiam Christi; sed ut hanc verbo, exemplo vitâque omni *instituendo*, spiritum vitamque Jesu in eâ totâ et in omnibus ejus sociis excitet, foveat, alat (§ 3, 4).

Ut Theologi munus rite perspicias, minus enumera, quaenam *agere* debeat, sed potius observa, qualis *esse* debeat ipse (§ 8). Talis si est, sponte fratris vel patris instar aget, neque auctoritate, sed praestantiâ suâ reget Ecclesiam, prouti excellentiâ suâ Athenas regebant Pericles et Demosthenes, neque unus populum Israëliticum Propheta. Talis inprimis erat Lutherus, qui verbo, exemplo, vita potens, nulla munitus auctoritate externa Ecclesiae partem insignem prorsus emendavit. Ipse, vim et violentiam semper improbans, Spalatino suo dd. 16 Jan. 1521 scribebat: »Quid Huttenus petat, vides. Nollem vi et caede pro Euangelio certari: ita scripsi ad hominem. Verbo victus est mundus, verbo servata est Ecclesia, etiam verbo reparabitur; sed et Antichristus, ut sine manu coepit, ita sine manu conteretur per verbum." Vide DE WETTE, LUTHERS *Briefe*, T. I, p. 543.

Sunt vero et alii bene multi, qui magnam in genere humano informando exerceant vim, legislatores, artifices, poëtae, oratores, philosophi, paedagogi, qui singuli suo quisque modo etiam sunt institutores, sed Theologi sunt ii, qui *ad Deum* ducant genus humanum, Theologi Christiani, qui ad Deum *per Jesum Christum.*

De artificibus et poëtis, generis humani institutoribus cf. SCHILLER, *Die Künstler.* Sed ipsa etiam religio artis legisve aut subsidio utitur aut etiam formam subit. Sic Graecorum antiquorum religio erat potissimum *ars*, Israëlitarum *lex*. Quid? quod inter ipsos Christianos Catholicismus partim est ars, partim lex. Cf. HAGENBACH, *Encyclopaedie und Methodologie der theolog. Wissenschaften*, § 6—10. Cavendum vero, ne sic extollamus vel legem vel artem vel philosophiam vel scholam, ut Ecclesiâ carere posse videatur genus humanum, a quo errore fovendo parum aberat Germania erudita sub finem saeculi superioris.

§ 13.

Theologi exempla.

Theologis exemplum, quod sequantur, perfectum est modo unum, Jesu Christi, qui amicos instituit modo perfecto. In hoc enim vita animi est (Joh. 17), praxis (vita tota externa), theoria (Joh. 6, 8, 13—17); earumque quaevis perfecta; eaeque omnes harmonice inter se conspirantes. Nec tamen hic exemplum est modo, sed ipse Pastor summus, cujus ministri sunt pastores reliqui omnes.

Egregia etiam exempla sunt Apostoli. Vitam animi fovit maxime Johannes; praxeos documenta continua dederunt praecipue Jacobus, Petrus, Paulus; theoriae, ejusque philosophice explicitae, specimina multa exhibuit Paulus.

In Ecclesiae historiâ reliquâ vita animi cernitur maxime in Mysticis optimis; praxis valde laudabilis in bonis Euangelii praeconibus, v. c. Missionariis multis; theoria probabilis in Philosophis Christianis, v. c. Patribus Alexandrinis.

§ 14.

Theologi nomina.

Muneris, quod gerit Theologus (si Ecclesiae certo munere gerendo vult inservire), natura non modo ex ipso elucet consilio, cur adsint Theologi (§ 11), et ex ipsa muneris, quod gerunt, descriptione (§ 12), vel ex egregiis iis, quae sequuntur, exemplis (§ 13); sed etiam ex variis, quibus insigniuntur Theologi, nominibus, istius muneris ratione habita inventis.

Theologus in N. T. dicitur, ἀπόστολος, εὐαγγελιστὴς, ἐπίσκοπος, πρεσβύτερος, ἡγούμενος, ποιμήν. — In Ecclesia Graeca et Latina *clericus*, *papa*, *pater*, *pastor*, *sacerdos*. — Inter Euangelicos *praedicator*, *verbi Divini minister*, *doctor*, *pastor*.

Satis ex his nominibus liquet, in Ecclesia Graeca et Latina nimis crevisse Theologorum regimen, in Euangelica idem nimis esse labefactatum.

§ 15.

Muneris, quod Theologus gerit, praestantia et difficultas.

Ex his, quae vidimus, etiam ex ipsis nominibus, quibus omni tempore insignitus est Theologus, apparet, quam praestans cum revera ejus sit munus, tum semper sit habitum, sed ideo etiam quam difficile merito habeatur. Utrumque hoc dilucide perspicis, Theologi contemplans sive intelligentiam et scientiam, sive exemplum et praxin in societate civili et ecclesiastica, sive animum vitamque coram Deo agendam.

Muneris hujus praestantiam et difficultatem cum alii egregie delinearunt, tum HÜFFELL, II. p. 55—76 ed. 2, p. 169—180 ed. 4. Cf. etiam J. HERINGA, E. FIL., *Kerk. Raadvrager en Raadgever*, T. I, p. 16—134.

Perficere vero hocce munus nemo poterit, nisi qui se sentiat pastorem sub Jesu, pastore summo, cujus gregem, auspice Jesu ipso, pascit.

IV. *Theologi institutio.*

§ 16.

Theologi ad munus suum obeundum praeparatio.

Ergo antequam in mundum mittatur, summâ curâ praeparari debet Theologus, ut munus suum rite obeat; id est, maximopere curari debet, ut, ipse vita vere Christiana plenus, hanc in aliis excitare et fovere possit. — Haec autem praeparatio debet esse in vitae Christianae consuetudine, amore, intelligentia, de quibus jam vidimus § 6.

Praeparationis, quae consilium propositum assequitur, vis ac medium a Jesu dicitur ἁγιασμὸς, πνεῦμα ἅγιον, πνεῦμα τῆς ἀληθείας, Joh. 10: 36, 17: 17—19, 20: 21, 22, 14: 17, 16: 13.

§ 17.

Praeparationis hujus pars prior, scholis Academiae Theologicis praevia.

Hujus praeparationis pars prior dici possit *institutio praevia*, posterior *institutio absoluta.*

Illa incipit a natalibus et auctores habet primum parentes, mox insuper magistros et amicos. Ducere autem debet Theologos futuros ad vitae Christianae cum consuetudinem, tum amorem, tum aliquam etiam intelligentiam.

Quatenus scholae sunt illius institutionis praeviae adminicula, scholae eae non modo ad linguarum copiam, historiam, philosophiam, item mathesin et physicam addiscendam, sed etiam ad vitam Christianam fovendam debent esse accommodatae.

Carere nequit Theologus futurus cultu et humanitate, urbanis aequalibus nostris communi; inprimis etiam pulcri et artis sensum debet habere (cf. HAGENBACH, *Encycl.* § 27). Item gaudeat, necesse est, linguarum cum recentiorum nonnullarum, tum antiquiorum, atque historiae et philosophiae cognitione; nam institutio, quae dicitur classica, fundamentum est doctrinae theologicae, prouti etiam est fundamentum doctrinae juridicae. Accedat, oportet, aliqua matheseos et physicae notitia, quae hic

adjumentum modo est; sed eadem fundamentum est doctrinae medicae, cui accedit modo, adjumenti instar, linguarum, historiae et philosophiae usus.

De vita Academica cum ab aliis, tum a Theologis bene agenda multi scripserunt: in his laude dignissimus est K. H. SCHEIDLER, *Hodogetik oder Methodik des akademischen Studiums und Lebens*, ed. 3 *Jena* 1847.

Nec tamen ulli Theologo *doctrina* theologica sit praecipuum, quod sibi comparare debeat. Rei caput est *vita* theologica sive potius vita Christiana, doctrinae quoque ope bene explicita. Jam vero huc usque jure et facto ad vitam Christianam fovendam in Nederlandia accommodatae sunt scholae inferiores; non item scholae mediae (in quibus v. c. linguae peregrinae recentiores docentur), neque superiores (in quibus linguas antiquas et antiquitatem omnem discunt juvenes Academiae sese praeparantes). Ad quas scholas superiores ipsae etiam quodammodo pertinent Academiae, quae vero parum quoque vitam Christianam fovent, nisi in Theologis ipsis. — At totam hanc institutionem Theologorum praeviam hoc quidem loco pluribus tractare non possumus. Cf. opusculum: *Over de verhouding van de Godsdienst en de Wetenschap tot het Onderwijs. Denkbeelden van Graser, van Heusde, Cousin en van Bommel, medegedeeld door* P. HOFSTEDE DE GROOT, *Gron.* 1841; cujus pars major adest etiam in *Waarheid in Liefde*, 1841, II.

§ 18.

Praeparationis hujus pars posterior, scholis Academiae Theologicis propria.

Praeparationis pars posterior (quae *institutio absoluta* dici meretur, invenitur autem in scholis Academiae Theologicis et vita Academica tota) eam vitae Christianae *consuetudinem*, quae Theologo futuro ab infantia esse debet, non destruit, sed, in mediis etiam tentationibus, perficit, et *amorem* longe magis excitat; at inprimis tamen sic est comparata, ut istius vitae, cui infans jam

est assuefactus quamque puer amare didicit, jam juvenis, inprimis etiam doctrinae eruditae ope, intelligat; qua *intelligentiâ* ipsâ amorem etiam augeat et consuetudinem confirmet.

Igitur a praeviâ institutione ita dignoscitur institutio haec absoluta, ut haec Theologos ducere debeat ad vitam Christianam propriam.

Hoc debere esse Academicae institutionis consilium, quo a reliqua institutione scholastica differat, ut in juvenibus excitet et alat et confirmet *vitam propriam* (*zelfstandigheid*), philosophice inprimis exposuit PH. W. VAN HEUSDE, *Brieven over den aard en de strekking van hooger onderwijs*, primum ed. a. 1829. Nempe quo major est alicui cultus, eo etiam magis priva et magis individua ei esse apparet indoles. Cf. quoque scripta de Universitatibus Germanicis edita a SCHLEIERMACHER a. 1808, STEFFENS a. 1820, SAVIGNY a. 1832, aliaque. Eloquentissime paucis in oratione ad Studiosos habita de hac vita agit E. TEGNER, *Redevoeringen*, *vert. door* A. C. HOLTIUS (*Utr.* 1840), p. 65, 66; »Weest zelfstandig; »want zelfstandigheid is het hoogste doel, niet van het »onderwijs alleen, maar van het leven. Wanneer het »kind kan gaan, werpt het zijnen valhoed af; wanneer »de geest tot rijpheid komt, laat hij den leiband varen. »Wat gij van anderen leert is op zich zelf gering; de »ware leermeester is met u geboren, woont in u, is »uw betere mensch. Geen leeraar kan meer doen, dan »den gebonden adelaar de wieken te ontbinden; wilt »gij vliegen, zoo moet gij uwe eigene vlugtspieren be»proeven. Geleerdheid is de spijs der ziel. Maar te »vergeefs spijzigen wij u, zoo gij niet zelve de spijs ver»teren kunt, en in voedende sappen veranderen. Proeft »daarom zelve, begrijpt, verstaat, denkt; want eerst »daardoor wordt hetgeen gij weet uw eigendom. Het »geloof is een kind der overtuiging, zoo niet, is het »onecht. Zegt daarom niet blind na, 't geen gij te »hooren krijgt, het zijn klanken en geene zaken; woor»den zijn wind. De zelfstandige is, overal in het ge-

»bied des geestes, een bevoegd getuige, al zijn zijne »gaven ook gering; maar de onzelfstandige blijft on»mondig tot aan zijnen dood, en zijn zeggen geldt niet »voor het geregt."

Haec vero vita propria in omnibus quidem juvenibus debet esse Christiana (quod neque Heusdius neglexit), sed in nullis magis quam in Theologis. Ut vero haec vita propria, per se ipsa verum sanctumque eligens et sequens, oriatur, tentationibus carere nequit stadium Academicum, etiam stadium Theologi Academicum; cf. PLATO, *De Rep. L.* IV, p. 429 seq., ubi de lana agit colorem non amissura; vide inprimis exemplum Jesu Christi, qui et ipse vixit et Apostolos vivere voluit, hosque adeo instituit, non in seminario ab hominibus remoto, sed in mundo medio, periculorum pleno. Inter Theologi tentationes vero etiam sunt dubia, sine quibus oppugnatis pauci operae suae peragendae sunt pares. Hinc neque sufficit Facultas Theologica, seorsim docens, sed modo Universitas, cujus pars sit Facultas Theologica; cf. HAGENBACH, *Encyclop.* § 22, 33.

§ 19.

Cur utraque praeparationis pars dicatur institutio.

Differt *institutio* a *legislatione*, quae actiones regit, a *doctrina*, quae intellectum illustrat, a *castigatione*, quae vitia corrigit, caet. Est *institutio* quasi nutricatio et directio (*τροφὴ καὶ παιδεία* Platoni) hominis interioris, qua quis homo reddatur vere humanus; ergo excolit et movet institutio animum, excitat illustratque mentem, ut hic, qui instituitur, penitus ipse informetur et excolatur, et tandem, rite informatus et excultus, flectat voluntatem dirigatque actiones, secundum id, quod bonum, pulcrum, sanctum, verum esse sentit animus videtque mens.

Cf. C. PRUIS VAN DER HOEVEN, *Oratio de institutione Academica*, *L. B.* 1840. At multi viri docti *erudire* et *instituere* non distinguunt, neque etiam, si doctores

sunt, instituunt, sed modo erudiunt discipulos. Hinc multi juvenes (si licet verum eloqui) in Academia discunt doctrinam aliquam philosopham, non philosophari; discunt cogitata a praeceptoribus, non cogitare; discunt leges, dogmata, scripta classica, non discunt jus excolere, veritatem sequi, classice scribere.

Cf. G. C. LICHTENBERG, *Vermischte Schriften*, T. 1, p. 109: »Ist denn Lesen und Studieren einerley? Es hat jemand mit grossem Grund der Wahrheit behauptet, dass die Buchdruckerey Gelehrsamkeit zwar mehr ausgebreitet, aber im Gehalt vermindert hätte." Mox idem optat, »dass man die Menschen lehre, *wie* sie denken sollen, und nicht ewig hin, *was* sie denken sollen." Illud enim esse ait, illudque solum, »eine Art von Einweihung in die Mysterien der Menschheit."

Vel hinc satis apparet, primariam institutionis vim sitam esse in amore, quippe quo excolendus et movendus est animus; nec tamen institutorem posse esse, qui careat aut accurata rerum intelligentia aut methodo recta, sine qua mens nequit illustrari. — Est vero amor, qui in discipulis excitatur, primum amor magistri, bona, pulcra, sancta, vera docentis; deinde etiam amor boni, pulcri, santi, veri ipsius.

§ 20.

Institutionis Academicae auctores et adjumenta.

Institutionis Theologi Academicae magna pars debetur bonis magistris, qui vero non modo scholis, sed etiam commercio familiari discipulos informent, est necesse. Verum pars etiam ejus magna vulgo debetur amicis, studio et amicitia ei junctis; item vitae liberae; porro virium periclitationi et exercitio multifario.

§ 21.

Institutionis Academicae bene regundae exempla.

Magistri institutionis, qua vitam propriam in discipulis informent, exempla reperiunt egregia in agendi

ratione, quam secuti sunt cum alii, tum Pythagoras, Socrates, Jesus Christus. Quorum primus maxime ostendit, quam vim in juvenibus informandis habeat gravitas magistri sacerdotalis et fraterna juvenum inter se amicitia; alter methodo eminuit excellentissimâ, qua ipsum discipulorum ingenium excitabat, purgabat, confirmabat; tertius tam feliciter novo, eoque Divino, spiritu imbuit Apostolos suos, ut omnes longe superet institutores, quotquot unquam fuerunt. Hic autem suos elegit discipulos, hos amore secum et inter se junxit, praxi et exemplo suo informavit, ad verum, bonum, sanctum intelligendum quoque evexit.

Cf. J. VAN OORDT, J. G. FIL., *Oratio de perfecta institutoris specie in Jesu Christo conspicua*, *L. B.* 1842. Ejus pars praecipua vernacule reddita etiam invenitur in opere *Nederlandsch Tijdschrift voor onderwijs en opvoeding*, 1844, I. Sunt quidem, qui Jesu Christi exemplum hac in re minus aestiment, quippe non philosophi, sed doctoris popularis. At longe difficilius et sublimius quid fecit Jesus Christus, institutor popularis, quam philosophum agere. Qua de re cf. THEREMIN, *Abendstunden*, T. III, p. 137 sq.

§ 22.

Institutoris Academici officia e Jesu Christi exemplo ducta.

1) Quum nemo muneri Theologico gerendo sit par, nisi qui in se habeat vitam Christianam, Academiae autem sit, hanc purgare et amplificare, non item instillare (§ 6): sequitur, uti Jesus elegit Apostolos (Luc. 6: 13), sic oportere, ut sit *electio* futurorum Theologorum, ne ex iis, qui studio Theologico ducuntur, tales fiant Theologi, nisi qui corpore, animo, mente ac voluntate sunt apti ad munus hoc bene gerendum; quae electio debet esse Ecclesiae nomine mandata tam aliis, quam Academicis Theologorum magistris. — Est vero haec vix ulla inter Christianos, si excipis Baptistarum

et Remonstrantium in Nederlandia familias, et electionem quae est apud Romano-Catholicos.

»Commendanda igitur est matura atque subinde repetita ingenii animique exploratio." CLARISSE, *Encyclop. Theol.* § 7 (1), ubi etiam libri, de ea agentes, citantur.

2) Tum institutor Academicus sibi devinciat discipulos suo ergo ipsos *amore* ostendendo, unde nutriatur amor Jesu Christi et Ecclesiae Christianae, itemque amor Dei et hominum omnium; qui amor jam diu quidem in iis vixit, sed continuo magis est alendus et augendus, ut ardenter et amanter in Dei ac Jesu Christi honorem generisque humani salutem agant.

3) Porro *praxi* ipsa totoque suo docendi ac vivendi exemplo discipulos informet. In scholis ergo non sint docentium monologi, sed docentium discentiumque dialogi, discentiumque inter se disputationes, doctore moderante. Porro semper et ubique commercium sit Professorum et Studiosorum familiare, patrum ac fratrum inter se ad instar. Item ne unus quidem sit Studiosus, quin cum aliis habeat sodalitia, amicitiae colendae ac doctrinae augendae consecrata. Multa item iis alia sint virium exercendarum pericula, v. c. disputatiunculae ac disputationes conscribendae, orationes sacrae conficiendae et habendae, catecheses instituendae, caet.; eaque pericula partim fiant moderante doctore, partim sine hoc a solis discipulis inter se. Qua praxi etiam opus est, ut experientiâ exercitati munus deinde dextere obeant.

De doctoris Academici doctrinam exponentis methodo recte HAGENBACH, *Encycl.* p. 349 ed. 1 (cf. ed. 2 p. 43 sq.): »Dieser Vortrag, soll er seinen Zwecke entsprechen und »nicht weit besser durch Mittheilung von gedruckter »Schrift ersetzt werden, muss durchaus ein *freier* seyn"; quam sententiam egregie ibi vindicat vir cl. contra hos, qui, artem typographicam quasi ignorantes, semper (ad exemplum doctorum e societate Jesu, qui saeculo XVI id agere inceperunt) in calamum dictant. Neque sane negligendum, optimos institutores, Socratem et Jesum

Christum, nihil omnino scripsisse in chartis, quo melius in animis scriberent hominum ipsis. — De magna utilitate, e disputandi exercitiis in discipulos redundante, testatur historicus accuratissimus et elegantissimus HEEREN, in *Biographische Nachrichten* (*Histor. Werke*, T. I praef.) p. XVIII, primum referens, se pleraque in Gymnasio non recte didicisse, tum addens: »Dennoch »wurde mir auf andere Weise der Besuch der öffent»lichen Schule sehr nützlich. Jeden Sonnabend Morgen »war zwey Stunden hindurch lateinisches Disputatorium. »Das war *mein* Feld. Bald als Opponent, bald als Re»spondent war ich auf dem Platze; und brachte es bald »dahin, dass nur Wenige es wagten, mit mir, den Sie »wohl den Friedliebenden zu nennen pflegen, anzubin»den. Auch nachmals auf der Universität wurden diese »Uebungen ununterbrochen fortgesetzt. Ist Klarheit in »meine Ideen, ist Fluss in meine Rede gekommen; so »verdanke ich es vorzüglich ihnen; und segne die Stun»den, die ich darauf verwandt habe."

Universe practica Academiarum directio, quam delineavimus, nusquam satis adest; in Nederlandia tamen magis, quam v. c. in Germania, cui Universitates suae mere theoreticae immerito putantur esse praecipua doctrinae palladia; nam palladia haec ipsi sunt Universitates hactenus quidem, quatenus libere ibi docetur doctrina quaevis; non vero quatenus ibi ad omnes discipulos transferatur doctrina, cui usui insigni inserviunt ipsi paene sola Gymnasia longe magis practica. In Universitatibus enim ibi doctores saepe sunt viri librorum modo lectione, non item mundi et Ecclesiae usu eruditi et exercitati. Theologi v. c. saepe numquam fuerunt Ecclesiae alicujus pastores, ac cum Ecclesia etiam, quatenus Theologiae Professores sunt, nullum fere habent commercium; quin saepe vix cum ipsis discipulis, quibuscum in scholis non colloquuntur, sed quibus praesentibus suos habent monologos. Aliter suo egit tempore vir summus, Germaniae Praeceptor, PHIL. MELANTHON, quippe qui interrogabat discipulos et cum his colloquebatur. Vide *Postill.* P. IV, p. 20 et P. II, p. 11;

coll. F. GALLE, *Versuch einer Characteristick Melanchthons als Theologen*, p. 15. Item vide MELANTHONIS *Opera* ed. BRETSCHNEID. T. X, p. 689—1024, ubi Melanthonis *Quaestiones* et *Alloquia* ipsa inveniuntur, partim huc referenda. Universitatum Germanicarum vitium, quod hac in re jam adest, curare conantur, qui Seminaria, saltem in nonnullorum Studiosorum usum, Universitatibus addiderunt; sed id melius perspexit et felicius curare conabatur in ipsis Universitatibus F. THEREMIN, *Ueber die deutschen Universitäten, ein Gespräch*, in opusculorum suorum collectione, quam dixit *Abendstunden*, T. II, p. 95—159. Cujus viri ingeniosi votum, ut Professores monologorum, quos habent, loco, dialogos cum discipulis instituant, re et facto superarunt haud pauci Academiarum Nederlandicarum doctores, e. g. D. WYTTENBACHIUS, qui ipse suarum scholarum, discipulorum eximiorum feracissimarum, rationem Socraticam descripsit, *Select. Hist.* p. 28 *Praef.*, hujusque discipulus egregius Ph. G. van Heusde, de quo doctore tali cf. L. G. PAREAU, *Waarheid in Liefde*, 1839, IV. Cf. etiam de Phil. à Limborch, Seminarii Remonstrantium Professore, A. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, A.F., *De Phil. à Limborch, Theologo, Diss.* p. 30. Cujus institutionis Socraticae cernuntur apud nos fructus, vim habentes cum in doctrina, tum in moribus, sane haud minores, quam quos inde sperat et auguratur Thereminus. Caeterum hujusce Socraticae methodi praestantiam, vitiaque, quae ex eâ neglectâ in institutionem Academicam fluxerunt, ita perspicere incipiunt viri in Germania multi, ut Minister Regis Borussici, qui rebus Ecclesiasticis, Scholasticis ac Medicis curandis praeerat, d. 17 m. Aprilis a. 1844 monitum ediderit egregium, quo rationibus expositis methodum illam commendabat, id quoque monens, eam antiquiore tempore in Academiis fuisse in usu, ac Professoribus persuadere conabatur, ut eam denuo sequerentur.

Nec vereantur doctores, ne ita impedimentum objiciatur ipsorum eruditioni, neve haec crescere et augeri possit. Hoc docentium et discentium commercium pro-

dest docentibus quoque; nam docendo discimus; interrogando intelligimus, ubinam simus obscuri, ubinam forte minus certa et bene fundata sit argumentatio nostra; audimus dubia magis minusve vera, sed quae saepe doctori soli non facile essent oborta, caet.

4) Interea ad haec, quae agit magister aguntque discipuli ipsi, *intelligenda* quoque hos sensim magis evehere debet magister. Indies magis perspicere eos oportet, quaenam sit illa vita Christiana, quam in magistro venerantur, ipsique jam diu egerunt, etsi ejus praestantiae et naturae nondum prorsus sibi conscii. Haec vita jam in Jesu Christo est observanda; explorandum, quomodo ad eam à Jesu accipiendam praeparatum sit genus humanum; quaenam ejus in genere humano immutando fuerint fata et effectus; quaenam ex ejus formis diversis magis minusve sit perfecta; quomodo haec vita vitae mundanae, artium cultui, doctrinarum studio, ab illa vita separatis, antecellat; quomodo haec commendari et excitari debeat in hominibus aliis. Hac vero intelligentia sensim perfectiori est opus, cum ut universam hominis Christiani vitam bene intelligant, tum ut Theologi, in munere obeundo deinde prudenter et sagaciter agant.

Cur intelligentia postremo ponatur loco, vide e superioribus.

Verbo, ita rem Academicam regere debent Theologiae Professores, ut ipsi cum discipulis in Academia constituant Ecclesiam vel Ecclesiolam aliquam, piam doctamque, in qua Studiosi tanquam Apostoli sint dociles, Professores, perfectum Jesu Christi exemplum aliquatenus secuti, spiritu Divino pleni.

Cf. de omni hac re L. G. PAREAU, *Oratio de animo non minus Theologorum quam ingenio Academica institutione informando*, habita Gron. a. 1831; J. F. VAN OORDT, J.G.F., *Oratio de Jesu Christo*, ad § 21 laudata; P. HOFSTEDE DE GROOT, *Eenige opmerkingen over de opleiding der Predikanten, volgens het voorbeeld door onzen Heer J. C. gegeven*, in opere, *Waarheid in Liefde*, 1843, I.

§ 23.
Continua doctorum discipulorumque cum Deo communio.

Illum vero Dei spiritum ut in se foveant magistri, illumque e magistris prodeuntem ut in se recipiant discipuli, utrisque continua opus est per preces cum Deo communione. Hac quum ne Jesus quidem ipse potuerit carere, etsi peccato omni purus: quî careant tandem homines non modo multum multumque imperfecti, sed etiam peccati labe sic infecti, ut perpetuo trahantur ad terrena ac vitiosa?

Precibus his doctorum discipulorumque carere non posse Academiam, senserunt nostri proavi, qui olim voluerunt, et aequales, qui in Nederlandia a. 1815 rursus sanxerunt, ut, praeeuntibus Theologiae Professoribus, solennia ac perpetua haberentur in Academiae usum sacra. Et vero praeter has publicas omnium, privatis quoque singulorum iisque continuis opus est precibus. »Dimi»dium studii rite precatus habet."

Quantopere necesse sit, ut haec continua discipulorum cum Deo communio alatur a doctoribus, liquet ex magna, quae saepe fuit studiosorum perversitate. Sic G. C. Knapp, Prof. Halensis, sub finem seculi superioris scribit, se in Theologiae studiosis, qui erant fere 700 numero, novis *unum* modo vidisse juvenem pium. Haec ipsius sunt verba: »Doch hat es mir sehr zur Aufmun»terung gedient, dass unser lieber Herr mir die Bitte »gewährt hat, die ich am letzten Osterfeste in Einfalt »des Herzens an ihm that, mir unter den neu ankom»menden Zuhörern doch nur Einen Zuhörer zu schen»ken, von dem ich wüsste, dass er für sein süsses »Euangelium Empfänglichkeit hätte. — So etwas könnte »einem nun wohl Muth machen, um mehr als Einen zu »bitten; aber dazu habe ich doch noch keine Freudig»heit gehabt, sondern für jetzt bleibt es noch dabei, »dass ich um die Bewahrung und Erhaltung dieses »Einen bitte." — In eâdem vero Academia quam alia fuerat rerum facies Frankii aetate!

In omni vero hac re cavendum, ne formis certis et speciei externae nimium tribuamus. Neque enim ipse Jesus aut formulis certis aut quotidie cum discipulis est precatus; cf. Luc. 11: 1.

V. *Encyclopaedia Theologi Christiani.*

§ 24.

Usus doctrinarum. — Quid sit Encyclopaedia Theologi Christiani.

Ut spiritu illo magis magisque imbuantur Theologi futuri, carere nequeunt usu doctrinarum Theologicarum, quae vulgo in Academiis tractantur. Hae vero tractentur ita, ut nunc ad vitae Christianae (quam consuetudine inde ab infantia nosse et amore inde a pueritia amplecti debuerunt) intelligentiam perfectam doctrinarum ope perveniant cives Academici.

Nempe opus est intelligentiâ, § 10; eâque in scholis acquisitâ, § 18; quae sine doctrinae ope non adest, § 22, 4.

Porro § 11 etiam provocavimus ad Quakerorum et Teleio-Baptistarum familias, ut ex ipsa historia probaremus, Theologis eruditis carere non posse Ecclesiam. Attamen etiam recte monuerunt Pietistae saec. XVIII, doctrinas etiam nocere posse. Cf. PLANCK, *Einleit. in die theol. Wissensch.* T. I, p. 39—57. Nempe nocent, quando eas habemus *consilium*, non *medium*, quo consilium scientiâ superius consequamur. Sic etiam poësis, musica, pictura nocent homini, si in se suum habere putantur consilium, id est, si formam modo pulcram constituere volunt, non vero tanquam media inservire consilio superiori, hominum institutioni vere humanae. Verum uti hoc ipsi etiam nocet arti, quae sic exculta in regione versatur inferiore, sic item nocet doctrinae; haec enim numquam omnia complecti potest, quae sciri possunt, sed tantum quae scitu sunt digna; at qui scitu digna dignoscantur et eligantur? Tantummodo e consilio et usu. Ita nisi agis, in doctrinarum cortice

frangendo forte tempus consumes tuum omne, et Theologus incides in errorem Scholasticorum, qui sic de scibilibus disputabant, ut scitu digna pleraque negligerent prorsus.

Expositio viae ac rationis, qua doctrinis hisce Theologiae studioso sit utendum ad ipsius informationem absolvendam, dici potest *Encyclopaedia Theologi Christiani.* Nec tamen hac voce intelligendus est orbis *doctrinae*, quem percurrere debeat Theologus, ut satis eruditus ad munus sacrum obeundum accedat; quo sensu inde ab Aristotele, homine doctissimo, dicta est *ἡ ἐγκύκλιος παιδεία*, *ἡ ἐγκυκλοπαιδεία*, *orbis doctrinae* QUINCTILIANO, *Inst. Orat.* I, 10, 1. Sed hoc vocabulo intelligenda est institutio *hominis* ipsius, doctrinarum ope absolvenda; quo sensu Plato usus est voce *παιδεία* ac Xenophon scripsit *Κύρου παιδείαν*, exponens (*Cyropaed.* I, 1, 6), *ποίᾳ τινὶ παιδείᾳ παιδευθεὶς* Cyrus hicce rex egregius sit factus.

Cf. § 16. Platonis sententiam, comparatâ etiam aliorum nostraeque aetatis sententiâ illustratam, exposuit V. HEUSDE, *Initia Philos. Plat.* Vol. II, P. II, p. 25—34, 224—226. Orta autem est cum *Encyclopaedia generalis*, illud a Cicerone dictum sibi sumens exponendum, »habere artes, »quae ad humanitatem pertinent, commune quoddam »vinculum et quasi cognatione quadam inter se conti»neri," cujus exemplum est ejusdem VAN HEUSDE opus, *De Socratische School*, T. I et II, qui etiam inscribuntur, *De Encyclopedie;* tum *Encyclopaedia specialis* Medicinae, Jurisprudentiae, Theologiae Hanc specialem Theologiae Encyclopaediam et nos adumbrare volentes, non tamen potuimus scribere *Encyclopaediam Theologiae*, sed *Encyclopaediam Theologi;* quod cur agere debuerimus, nunc facile intelligitur. Sic etiam Cicero scripsit *de Oratore*, non *de arte oratoria*, ipsaeque Quinctiliani *Institutiones oratoriae* mox *oratorem* delineant. Ita et cl. C. A. DEN TEX, qui *Encyclopaediam Jurisprudentiae*, *Amstel.* 1839, edidit, expositâ jurisprudentiâ, Juriscon-

sulto ipsi adumbrando finem operis dicat. Sed etiam Theologi nonnulli potius Theologo describendo, quam doctrinae Theologicae delineandae dederunt operam, vel saltem prae hac illum non neglexerunt. Sic magnus ille JOHANNES CHRYSOSTOMUS, in libris Περὶ ἱερωσύνης ipsum sacrorum antistitem, amore Christi animatum, ob oculos pingit; ERASMUS in *Ratione verae Theologiae* etiam Theologum proponit, qui precibus non minus quam literis sit informandus, vitâque non minus quam doctrinâ insignis esse debeat; HYPERIUS, Theologus Marburgensis, a. 1556 *de Theologo* scripsit, cujus pietatem eruditione confirmare voluit; A. H. FRANKE a 1712 *Ideam Studiosi Theologiae* exhibuit; dum nulli Encyclopaediae Theologicae exstant auctores, paululum probabiliores, quin ipsum quoque Theologum subinde spectent. Prouti autem multi parentes putant, se omnia impendisse ad liberos *bene instituendos*, si magnam dederint ad eos *erudiendos* pecuniam, quod ita efficitur saepe, ut ingenium animo neglecto excolatur, vel forte memoria modo multarum rerum cognitione referciatur, neglecto homine ipso, qui ante omnia erat instituendus et excolendus: ita etiam alii viri eruditi potius *doctrinarum* ambitum et pomoeria extendere, quam *juvenum docendorum* ingenium animumque informare, ante omnia conantur.

§ 25.

Encyclopaedia Theologi Christiani quonam modo et consilio sit tractanda.

Exponendum igitur est deinceps in hac nostra Encyclopaedia, quomodo tota Theologia singulaeque ejus partes practice et theoretice a magistris Academicis et a discipulis sint tractandae, ut, quae est vita Christiana in illis, communicetur cum his, quo in his vita ea crescat et adaugeatur, quia hi vitam eam indies et ardentius amant et clarius intelligunt.

Ergo non adeo est exponendum, quid alii viri docti scripserint de Theologia ejusque partibus; sed quomodo

Professores Studiosos Studiosique se ipsi *instituere* debeant. Itemque in singulis doctrinae Theologicae partibus contemplandis non est subsistendum in his, quae *hucusque* reperta et exposita *sunt;* sed adscendendum est ad ea, quae *e consilio Jesu Christi* agi *debeant;* id est, non modo est exponendum, qualis nunc sit hujus illiusve doctrinae conditio; sed qualis in futuro haec esse debeat secundum omne Jesu consilium, quatenus hoc nunc quidem perspicimus. Denique non totus Theologiae totius ac singularum Theologicarum doctrinarum ambitus est dimetiendus, ac si eruditissimus quis reddi possit Theologus hac Encyclopaedia duce; sed Theologiae totius singularumque doctrinarum principium et consilium methodusque, qua ex illo ad hoc perveniatur, sic sunt indicanda, ut Theologiae studiosus ipse jam feliciter doctrinas hasce in vitae suae Christianae emolumentum addiscere possit.

Neque enim futurus navis gubernator facit iter per terrarum orbem, duce gubernatore docto, ut ediscat, quomodo ubivis sit gubernanda navis; sed methodum gubernandi discit domi, qua usus ubivis navem gubernare possit. — Sponte igitur haec nostra *Encyclopaedia* complectitur *Methodologiam*, quam multi ab illa distinguunt.

Usus igitur hujus Encyclopaediae erit duplex. Prior ac primarius hic, ut juvenibus Theologiae operam daturis sit tanquam itineris dux, qui terrarum iis incognitarum regiones et vias patefacit, et monstrat, quonam itinere peti et cognosci possint; posterior ac secundarius hic, ut post iter per Theologiae doctrinas confectum Theologis sit viae repetitio et recognitio.

Hagenbach, *Encyclop.* p. 4 ed. 2: »In ersterer Beziehung ist »sie (die Encyclopaedie) überwiegend anregend, methodo»logisch, erst auf dashin arbeitend, was sie im letzeren Falle »als Gewinn hinter sich hat. Das ist aber die Probe jeder »ächten wissenschaftlichen Methode, das Anfang und Ende »zusammen stimmen und dass was von lebendiger An-

»schauung der Dinge und Verhältnisse ausgeht, auch »wieder zu einer noch tiefern Auffassung und geistigen »Durchdringung hinführe."

Merito metuunt multi viri docti, Encyclopaediae Theologicae auctores, ut haec disciplina doctrinae severae, e justo principio ductae, postulatis satisfaciat; nam facile cumulatio notitiarum doctarum de Theologia ejusque addiscendae methodo a nonnullis Encyclopaedia dicitur. Cf. PELT, *Theol. Encycl.* § 3. Quare alii aliud reperire principium certum sunt conati. Quid nostrum sit, patet, Jesus Christus ipse, quem nosse, amare, sequi debemus omnes. Nec sane illi metui erit locus, quando Jesus Christus, uti Ecclesiae totius, sic etiam hîc positum est fundamentum. Neque tamen frustra nobis praeterierunt saecula XVIII inde a Jesu aevo. Sed his, quae attulerunt, libere est utendum. Nam saepe attulerunt impedimenta vitae Christianae atque talia inter Jesum et hodiernum Jesu amicum interposuerunt, quae minime sunt ferenda; vel traditionem Ecclesiae, vel auctoritatem Conciliorum aut Papae, vel effata librorum symbolicorum, vel usum ac consuetudinem; quibus omnibus uti licet, vinciri non item.

§ 26.

Historia Encyclopaediae Theologi Christiani.

Si historiam Ecclesiae Christianae percurrimus, videmus numquam defuisse, qui Theologos futuros tanquam Ecclesiae ornamenta et columina feliciter excolere et informare conarentur, etiam doctrinarum Theologicarum ope.

Perfectum institutionis Divinae exemplum dedit Jesus Christus, Apostolos informans et prorsus novos reddens homines; etsi hic minus doctrinarum, quam veritatis luce discipulos illustraret. Cf. § 21, 22.

Ne vero inde, quod Apostoli, a Jesu electi, caruerint eruditâ doctrinâ, efficias, nos etiam hac destitutos esse posse. Illis sufficiebat, veri esse studiosos; nam testes modo erant rerum a Jesu gestarum et fatorum Jesu.

> Ergo praecipuum, quod nos *doctrinarum ope* consequi debemus, intelligentiam Jesu Christi, hoc illi habebant *intuitione*. Quin proderat Euangelio, quod non plura novissent, quia quo simpliciores et minus culti erant testes, eo minus etiam fieri poterat, ut fingerent ipsi Jesu res. Neque tamen hoc simplex de Jesu testimonium semper sufficiebat. Quum Euangelium annunciandum erat et commendandum mundo cultiori, opus fuisse doctrinâ, ipse Dominus ostendit, ad hoc munus agendum evocans doctum illum Paulum. Neque igitur nobis sufficit, quod plerisque Apostolis; nos, cum Paulo, inquirere debemus, quid vere acciderit ante saecula octodecim, quomodo haec cohaereant cum antea factis, quomodo inde pendeant quae secuta sunt, eaque omnia rite hominibus debemus explicare variisque commendare ingeniis.

Monita egregia dedit Paulus, praesertim in Epistolis ad Timotheum et Titum; quamvis haec monita magis spectent vitam Theologi pastoralem, quam ejusdem institutionem, qua aptus reddatur ad hanc vitam bene agendam.

Primum institutionis Academicae, cujus ambitum et indolem hîc delineamus, exemplum qualecunque invenimus in *Schola catechetica* Alexandrina, quae, a saeculo III ad V florens, innixa erat grammaticae Novi Foederis interpretationi, in usus suos adhibebat omnem orbis eruditi supellectilem, ad philosopham denique totius religionis Christianae aestimationem procedebat. Multas matris laudes merebantur etiam filiae, schola Antiochena et Edessena, magis grammaticae, minus philosophae.

In plurimis vero orbis Christiani regionibus inde a saeculo IV Theologi futuri instituebantur in *Monasteriis*, unde disciputi prodierunt multi, sed vel optimi potius severi, quam pii, potius eruditi, quam sapientes. Ex his vero monasteriis angustisque ipsorum scholis, post grandia Caroli M. conamina, natum est saeculo XII institutum ambitu amplissimum, indole liberrimum, usu

fructuosissimum, *Universitatum*, quae sunt doctorum discipulorumque omnibus doctrinis operam dantium societates. Hae, quod ad Theologos attinet, primum quidem his solam explicabant doctrinam in scholis traditam (Theologiam Scholasticam); sed additae sunt mox literae Latinae ac Graecae atque Novi Foederis interpretatio. Quas literas et interpretationem omnium maxime adjuvit Erasmus, tam multorum institutione juvenum, quam libris egregiis edendis.

Post hunc orta est Ecclesiae Reformatio, quae multas fecit condi scholas, *primum* ab Euangelicis, qui Universitates novas condiderunt, a veteribus, quod ad Theologiam attinet, sic maxime diversas, ut in iis Theologiae Scholasticae loco jam magis magisque doceretur Theologia Biblica; verum *deinde* quoque a Jesuïtis, qui, ut Euangelicis resisterent, scholas aperuerunt novas bene multas et in veteribus ubivis inter Romano-Catholicos occuparunt cathedras; quorum methodus hoc habet proprium privumque, ut magna eruditionis mole cum referciant memoriam et intellectum, tum opprimant ingenium liberum, adeoque discipulos non tanquam homines liberos informent, verum tanquam equos canesve, quantum fieri potest, doment et instruant ac fingant, quibus deinde tanquam instrumentis aptis ad consilia sua assequenda utatur societas Jesu.

Ipsa vero haec servilis Jesuïtarum informatio in causa fuit, ut melius sentirent multi, opus esse libera vereque humana cum omnium hominum, tum Theologorum institutione, qua ad vitam propriam perveniant discipuli omnes. Quod cum monuissent primum Fenelon, Rousseau, Pestalozzi, philosophice exposuit et vindicavit inprimis van Heusde. Vide § 18.

Multum a rei factae sive praxeos historia, quam haec § 26 tangit, differt historia theoriae sive librorum de Encyclopaedia aut Theologi aut Theologiae a viris doctis editorum, quam historiam hîc in annotatione breviter exponemus; inprimis ea recensuri opera, quorum usus Theologiae studioso etiam nunc prodesse possit.

Primus, qui theoriam Theologi instituendi conscriberet, erat orator celeberrimus JOH. CHRYSOSTOMUS, opusculo Περὶ ἱερωσύνης, cum in omnibus Chrysostomi operibus inveniundo, tum et seorsim a Bengelio et Leone et stereotypice apud Tauchnitzium edito; quod, uti facile comparari potest, sic etiam lectu est dignissimum, maxime propter id quod p. 26 jam de eo diximus. — Inter Ecclesiae Patres Latinos simile quid egit AUGUSTINUS, libello *De doctrina Christiana* conscripto, quo magis etiam quam Chrysostomus Theologum informandum ostendit Scripturae Sacrae interpretem. — Neque suis defraudandi sunt meritis, qui deinde rem hanc tractarunt, quamvis nostro tempori parum amplius prodesse possint, Cassiodorus, Rabanus Maurus, Hugo a S. Victore, alii. — Longe prae his omnibus excellit ERASMUS, qui id, quod juvenibus instituendis et libris edendis agebat, se bene intelligere, ostendit opusculo, inscripto *Ratio verae Theologiae*, Opp. T. V ed. CLERICI, quo inprimis Novi Foederis usum commendat ipsumque Theologum informare conatur; cf. supra p. 27. — Ex Reformatoribus horumque discipulis etiam multi Encyclopaediae exponendae dederunt operam, inprimis ANDREAS GERHARDUS HYPERIUS, Theologus Marburgensis, *De Theologo, seu de ratione studii theologici L. IV, Basil.* 1556; cf. supra p. 27. — Deinde Schola Salmuriensis laudabile quid hac in re praestitit per STEPHANUM GAUSSENUM, cujus *Dissertationes* elegantissimae huc pertinentes septima vice a. 1792 editae sunt in EV. SCHEIDII *Opusculis de ratione Studii*. — Ad liberiorem Theologiae tractandae rationem maxime viam straverunt cum GEORGIUS CALIXTUS, qui in libro *Adparatus Theologicus* inscripto, tum PHIL. JAC. SPENER, qui et in *Piis desideriis* et Praefatione quadam, qua *de impedimentis studii theologici* agit, multa emendanda esse ostenderunt et emendare conati sunt ipsi. Inter scripta, deinde edita, eminent quae profecta sunt a viris doctis et piis C. M. Pfaffio, Fr. Buddeo, G. Walchio. Post hos *Encyclopaediae* Theologicae nomine primus usus est S. MUR-

SINNA, editis a. 1764 *Primis lineis Encyclopaediae Theol.* Reliquorum autem laudes superavit G. J. PLANCK, opere, *Einleitung in die theolog. Wissenschaften*, II Tom. 1794, ejusque operis compendio, *Grundriss der theol. Encyclopaedie*, a 1831 edito. — Aliam vero viam ingressus est J. G. HERDER, qui tam aliis operibus bene multis, quam editis Epistolis, *Briefe das Studium der Theologie betreffend*, Sacrarum Scripturarum divitiis et ubertati initiare conatus est Theologos futuros, ut locupletes fierent verbi Divini inter homines interpretes.

Ad severam et justam doctrinae Theologicae rationem tandem Encyclopaediam perduxit FRID. SCHLEIERMACHER, edito a. 1811 primum, a. 1830 iterum, libello *Darstellung des theologischen Studiums*, quo Theologi scientiam et facultatem sic explicat, ut Ecclesiae ministri officio et consilio rite satisfacere possit. Hunc secuti sunt in Ecclesia Romano-Catholica J. S. VON DREY, *Kurze Einleitung in das Studium der Theologie*, *Tub.* 1819; in Ecclesia Euangelica cum alii, tum, qui reliquis palmam praeripere videntur, K. R. HAGENBACH, *Encyclopaedie und Methodologie der theologischen Wissenschaften*, *Leipz.* 1833 et iterum a. 1845, et A. F. L. PELT, *Theologische Encyclopaedie*, *Hamb.* 1843. Horum vero prior, de libris minus sollicitus quam de rebus ideisque, his egregie expositis ac stilo eleganti et methodo plana Theologis futuris est aptior; posterior disputationis ubertate ac judicio de libris multis justo viris Theologiae peritis utilior. — E Nostratibus *Encyclopaediae Theologicae Epitomen* edidit JO. CLARISSE, *L. B.* 1832 et iterum 1835, notitiis literariis ditissimam.

3

PARS POSTERIOR.

ENCYCLOPAEDIA THEOLOGI CHRISTIANI SPECIALIS,

SIVE

QUIBUS DOCTRINIS ET QUANAM RATIONE HARUM OPE THEOLOGUS CHRISTIANUS SIT INSTITUENDUS.

§ 27.

Doctrinae Theologicae quaenam et quonam ordine in Encyclopaedia tractandae.

Cum ex rei natura tum ex historia derivamus, quaenam doctrinae Theologicae aequalibus nostris maxime sint tractandae ac quonam hae ordine sibi invicem optime jungantur.

Scholis hisce Encyclopaedicis nobis proponimus exponere, quomodo institutione Academica Jesu Christi vita in Theologis sit alenda a doctoribus discipulisque, doctrinarum inprimis ope, qua plenissime *intelligere* possint Theologi eam vitam, quam *consuetudine* et *amore* jam diu amplexi sunt et nunc intelligendo quoque magis fovere, purgare, alere possunt (§ 6—10).

Ut autem Jesu Christi vitam intelligentius in nobis foveamus, accuratius Jesum Christum debemus cognosse, id est, Jesum Christum prius objective extra nos debemus contemplari viventem, quo magis ipsius vitam deinde in nobis possimus fovere. Ergo Encyclopaediae partis posterioris sive specialis, quae Theologum doctrinarum ope informandum exhibebit, caput primum aget *de*

historica Jesu Christi cognitione, alterum *de Jesu Christi vita in Theologo Christiano.*

Capitis primi duae erunt Sectiones; nam Jesum primo novimus e vita, quam in terris egit, humana, quamque inprimis enarrat Novum Foedus; ideoque prior Sectio erit *de Novi Foederis interpretatione;* altero loco Jesum novimus e vita, quam nunc in coelis agit, Divina, quamque patefacit Ecclesiae historia; ideoque posterior Sectio erit *de historia Ecclesiae.*

Capitis secundi etiam erunt Sectiones duae; nam Jesu Christi vita in Theologo Christiano est contemplanda, quatenus Theologus hic est Christianus, eamque igitur vitam in se habet ipse; unde prior Sectio erit *de institutione morali:* deinde haec vita est in ipso contemplanda, quatenus est Theologus, eamque ergo excitat, fovet, regit in Ecclesia; unde posterior Sectio erit *de theologia practica.*

Neque tamen hîc subsistendum. His singulis tractatis addenda jam est *totius rei Christianae recognitio*, Capite tertio exponenda, qua et de veritate et de praestantia hujusce Jesu Christi ejusque vitae in nobis, sive religionis Christianae, nobis fiat persuassimum. Est vero etiam haec recognitio duplex, vel magis theoretica, qua ea religio ac res Christiana omnis aestimatur ex vero, vel magis practica, qua commendatur ex indole salutari. Prior igitur Sectio continebit *totius rei Christianae aestimationem* (*Dogmaticam*), posterior ejusdem *commendationem* (*Apologeticam*).

Recognitio hîc fere significat, quod Francis *Résumé.* — Ad praeviam Dogmatices institutionem referenda quoque *Theologia Naturalis*, quae est philosopha religionis ipsius, per se spectatae, aestimatio. Est haec igitur disquisitio maximi ponderis, sed quae proprie ad praeparationem philosopham institutionis theologicae pertinet, non ad hanc institutionem ipsam. — Caeterum in nulla forte Encyclopaedia hic est ordo noster, quo Theologia moralis ac practica praeponitur Dogmaticae et Apologeticae; solent enim viri docti praxin derivare e theoria. At

nos secus agimus, theoriam vulgo ducentes e praxi; cf. § 1—26.

Tandem Conclusione uno obtutu ob oculos ponemus *Theologum Christianum* conspiciendum.

Convenit hic ordo non tantum rei naturae, sed etiam historiae. Nam primum Jesus Christus apparuit vitâ terrenâ, deinde coelesti; atque utriusque vitae vi prius fimus Christiani, quam Theologi; itemque quod in nobis habemus, deinceps aestimamus, idque tandem magni aestimatum aliis quoque commendamus.

§ 28.

Harum doctrinarum recte docendarum conjunctio cum institutione Theologi praevia.

A. Haec vero plena et absoluta Theologi institutio capi a nemine potest, nisi qui praevia institutione sit informatus (§ 17, 18); neque nos Nederlandi possumus tractare Academicam Theologi Christiani institutionem, quin vel in hac ipsa distinguamus *προπαίδευσιν* et *παίδευσιν*, quum *προπαίδευσις* lege publicâ pertineat quoque ad ipsos priores vitae Academicae annos. Jam igitur oritur haec quaestio, quomodo in his nostris scholis Encyclopaedicis sit exponenda utriusque institutionis, praeviae et absolutae, conjunctio, sive quomodo nos jam, de absoluta acturi, etiam agere debeamus de praevia institutione?

Modus hic esse potest, ut prius separatim agamus de praevia institutione, prouti revera haec separatim alteri illi praecedit. At vero, qui has scholas nostras Encyclopaedicas frequentant, *jam sunt* Theologiae ipsius studiosi, ideoque his dare praecepta, quomodo institutione praevia ipsis utendum *fuerat*, minus videtur aptum.

Ergo tantum tractabimus *Theologiae* ipsius partes, sed sic ut institutionis praeviae usum in singulis doctrinis Theologicis rite percipiendis accurate ostendamus; quia

nostrum est, ostendere, quam vim *habuisse* debeat institutio praevia et etiam nunc *habere.*

B. Uti vero omnis omnino institutio, sic etiam institutio praevia habet faciem duplicem, *materialem* (*realem*) et *formalem.* Institutionis *materia* (*res*) est id, quod assumitur, *forma* est modus, quo assumitur et assimilatur (ut Chemici loquuntur) materia. Sic v. c. belli Persarum et Graecorum historia enarrata usum habet materialem, ut rem gravissimam faciat cognitam, formalem, ut indignatio excitetur erga Persas servos, admiratio Graecorum liberorum, ut patriae amor crescat, ut sensus pulcri justique acuatur, caet.

Jam nulla quidem est forma, nisi adsit materia, cujus est forma; attamen materiae usus animum informans, qui formalis usus appellari solet, semper longe major esse debet quam materialis. Quid? quod uti nullus est usus materiae ciborum, corpori nostro proficuus, nisi quatenus haec assimilatur humoribus corporis nostri: sic neque materiae doctae usus est aliquis, spiritui nostro vere proficuus, nisi quatenus ea assimilatur sensibus et ideis spiritui nostro jam propriis; i. e. *materiae* doctae usus verus est nullus, nisi quatenus eâ *informatur* spiritus noster.

Sunt ergo nonnullae institutionis praeviae partes, quae Theologo nullum paene habent, nisi formalem usum, v. c. mathesis, linguae cultiores, artes multae, statuaria, pictura, caet., quarum vis haec esse debet, ut sensus veri, recti, pulcri, boni in Theologo excitetur et alatur.

Quaenam harum rerum sit vis ad hominem excolendum eumque evehendum e mundo sensuali in spiritualem, ideoque quaenam sit earum vis in Theologum praevia institutione excolendum (quum, antequam fiamus Theologi, oporteat, ut simus homines exculti), egregie docuit VAN HEUSDE, cum in *Initiis Philosophiae Platonicae*, Vol. II, tum maxime in opere, *De Socratische School*, Tom. I et II, qui inscribuntur etiam, *De Encyclopedie, ter beantwoording der vraag, »welke is de verwantschap, welk het onderling verband aller kunsten en wetenschappen?"*

§ 29.

Hae doctrinae quonam modo sint tractandae.

Hoc jam modo singulas doctrinas theologicas tractabimus, ut primum *institutionem* uniuscujusque *praeviam*, eamque cum *formalem*, tum *materialem* exponamus, illâ intelligentes, quaenam animi et ingenii facultas, hac, quaenam eruditio ei esse debeat, qui feliciter doctrinam eam sit aggressurus.

Institutioni praeviae subjungemus *institutionem absolutam*, cujus pars prior semper erit historica, docens, qualis hucusque diversa fuerit doctrinae cujusque tractandae ratio, pars posterior vero philosopha, enucleans, qualis ejusdem tractandae ratio jam esse debeat, ut optimos Academico Theologiae Studioso ferat fructus.

Historica enim illa enarratione carere non possumus, ut aliorum erudiamur profectibus et quoque erroribus; nec vero in ea subsistendum est, ut, nostris etiam utentes ingenii viribus, Ecclesiae commodis prospiciamus.

CAPUT I.

DE HISTORICA JESU CHRISTI COGNITIONE.

SECTIO I.

DE NOVI FOEDERIS INTERPRETATIONE.

I. *Institutio praevia.*

§ 30.

Institutio interpretis Novi Foederis praevia, formalis.

Ex distributione § 27 facta primum jam contemplamur Jesum Christum objective, qualis appareat extra nos cum in Novo Foedere (Sect. I), tum in Ecclesiae historia (Sect. II). Jam vero, ut quis feliciter interpretetur Novum Foedus, praeparatus esse debet rite, cum quod ad materiam, tum quod ad formam pertinet (§ 28). Praeparatio formalis constat his potissimum rerum capitibus. Esse debet futuro Euangelii interpreti:

1) *Animus purus*, ex vita omni priore ortus. Puris enim modo hominibus omnia sunt pura, ideoque Novi Foederis sanctitas non nisi a santis sanctive studiosis percipitur, Matth. 5: 8.

2) *Sensus religiosus*, qui omnibus inest hominibus, jam prima parentum institutione in eo excitatus et

deinde nutritus. Ab animo enim et sensu pendet magnam partem mens. Uti poëma non intelligas, sensu poëtico destitutus, ac philosopham disquisitionem non capias, acumine philopho carens, ita nec librum de religione agentem, a religione ipse prorsus alienus; neque dignoscuntur homines nisi a cognatis animis, omnium minime Jesus et Apostoli.

3) *Veneratio sancti*, ex conjunctione et commercio cum hominibus optimis sanctisque (maxime cum Jesu Christo inde a pueritiâ) orta. Hinc nasci debet labor indefessus in sanctis hominibus cognoscendis et in sanctissimo Jesu Christo pernoscendo.

> HAGENBACH, *Encyclop.* p. 132, 133 ed. 1: »Dem innern, »dem reflectirtem Leben zugewendet, kann es [das »N. T.] einzig und allein nur aus einer frommangeregten Stimmung heraus lieb gewonnen, verstanden und »und mit analogem Geiste erklärt werden. Nicht äus»sere, grosse Begebenheiten, sondern einzig *Charaktere* »sind es, und zwar nicht sowohl die volksthümlichen, »als die persönlich individuellen, die hier zum Vorschein »kommen. Der *innere* Mensch mit seinen Anlagen, »mit seinen Bedürfnissen und Verirrungen; die göttliche »Liebe mit ihren Wundern und Offenbarungen, nicht »mehr einem auserwählten Volke, sondern dem auser»wählten Individuum und in diesem wieder der ganzen »Menschheit zugewandt; die Erscheinung des Unend»lichen in der Gestalt eines in die Endlichkeit einge»tretenen und an ihre Gesetze gebundenen Menschen»lebens; die Gewalt des Geistes, der da wehet wo er »will in dem unsichtbaren Reiche der Gemüthswelt; »das Erwachen der Menschheit zu ihren höheren Be»stimmung, Anbetung Gottes im Geiste und in der »Wahrheit, Wiedergeburt zum Ebenbilde Gottes und »ein reiner Sinn, ein schlichter Wandel vor Gott, ein »demüthig Leben *mit* ihm und *in* ihm; Glaube, Liebe, »Hoffnung — und diess alles mitten in einer verdorbe»nen Zeit, in einer für den Untergang reifen, aber

»auf ewig dem Verderben zu entreissenden, ins Himm-»lische zu verklärenden Welt — Grundlegung der »βασιλεία τοῦ Θεοῦ auf den Trümmern der eingesunke-»nen Theokratie — siehe! das ist, im bescheidenen »Samenkorne des einfältigen Wortes verschlossen, Kern »und Inhalt der evangelischen Lehre und Verkündiging. »Daran sollte mehr, als gewöhnlich geschieht, ohne »fromm-süsse Empfindelei und Andächtelei, aber in »anspruchlos, kräftig erhabener Weise, der man die »eigens gemachte Erfahrung bald anspürt, an der »Schwelle des Studiums neutestamentlicher Exegese er-»innert werden! Hat *diese* Inspirationstheorie im Ge-»müthe Anklang gefunden, dann mag immer, was die »äussere Einrichtung betrifft, mit aller Unbefangenheit »gezeigt werden, wie es mit dem Schreiben und Abfas-»sen der Bücher *gelegentlich* zugegangen und wie alles, »was wir da lesen, zugleich durch zeit- und ortgemäs-»ses Bedürfniss bedingt sei u. s. w."

Hinc merito observat C. A. HEUMANN, in Praefatione interpretationis N. F. (*Verklaring over het Nieuwe Testament*, T. I, p. VI, VII), commune interpretum multorum vitium, quo fiat, ut perperam Scriptores Sacros intelligant, esse hoc, quod precibus sanctis sese operi agendo non praeparent.

4) *Studium veri inquirendi et facultas veri inveniundi*, quod oritur e mathesi addiscenda, ex historia generis humani inquirenda, ex phantasiâ, poëseos cognitione exercitatâ. Opus vero est hoc studio et facultate hac, ut Jesum Christum ab omni parte tam velimus, quam possimus pernoscere.

His quatuor rerum capitibus, quorum tria priora sunt magis practica, quartum magis est theoreticum, opus est cunctis. Quia tria priora deërant Voltario, quartum, quod ei in multis aliis rebus aderat, etiam deërat ei in Novo Foedere legendo, unde necessario jam factus est ipse religionis Christianae irrisor. Qui autem tribus illis gaudent, si tamen veri inquirendi studio non ar-

dent, fanatismo, sin veri inveniundi facultate sunt destituti, orthodoxiae stabili ac mortuae facile sese tradunt.

De hac praeparatione formali multis egit VAN HEUSDE, locis p. 37 citatis.

§ 31.

Institutio interpretis Novi Foederis praevia, materialis.

1) Quum sapientissimâ Dei curâ *Graece* scriptum sit Novum Foedus et hoc partim ad Graecos datum, carere nequit ejus interpres literarum Graecarum cognitione, id est, cognitione linguae Graecae et genii antiquitatis Graecae. Quum vero tempore recentiore ortum sit hoc Foedus, specialiter opus est cognitione dialecti recentioris sive *κοινῆς* et genii cultûs Graecorum recentioris, qui post Alexandrum Macedonem est ortus.

Linguae Graecae cognitionem accuratiorem petas inprimis ex PHIL. BUTTMANN, *Ausführliche griechische Sprachlehre*, II Vol. ed. 2 *Berl.* 1838, et A. MATTHIAE, *Ausführliche griechische Grammatik*, III Vol. ed. 3. *Leipz.* 1835. E Lexicis praeferendum videtur FR. PASSOW, *Handwörterbuch der griechischen Sprache*, II Vol. ed. 4 *Leipz.* 1831, ed. 5 a ROST aliisque curata a. 1841—1850. — Genium vero antiquitatis Graecae non noveris nisi e lectitatis Graecis scriptoribus optimis, saltem Homero, Tragicis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Platone, Demosthene, Aristotele. Ad hos autem rite intelligendos universe parum faciunt scriptores de Antiquitate Graeca, v. c. L. Bos, qui in ritibus et consuetudinibus fere haerent; plus facit J. J. ESCHENBURG, *Handbuch der klassischen Literatur*, saepissime editus, ac HEEREN, *Ideën*, III, 1.

Inprimis autem futuro N. Foederis interpreti observanda est dialectus *κοινὴ*, de qua cum alii egerunt, tum et BUTTMANN ac MATTHIAE, initio *Grammaticae* utriusque citatae; itemque animadvertenda est immutatio, quam, auctore Alexandro, maxime in condita ab ipso Alexandriae urbe, subiit genius Graecus, de qua primus egregie multa protulit C. G. HEYNE, *Opuscula Acad.* Vol. 1, p. 76—134.

2) Quia ab *Hebraeis* scriptum est Novum Foedus, scena, in qua res aguntur, est in Hebraeorum regione, lectores, ad quos inprimis illud est datum, sunt Hebraei, non minus etiam quam Graecarum, opus est Hebraearum literarum cognitione; id est, lingua et antiquitas Hebraea rite cognita esse debet Novi Foederis interpreti.

Ut autem linguae et antiquitatis Hebraeae genium bene perspiciat, cognoscenda ei est lingua Semitica universa (dialectus Aramaea, Arabica, caet.) et universus Orientalium in religione, in poësi, in cultu omni genius: qua vero in re attendendum est non modo ad convenientiam, sed etiam ad discrimen Semitarum reliquorum et Hebraeorum.

Egregie de linguarum Semiticarum usu ad linguam Hebraeam rite cognoscendam egit W. GESENIUS, in disputatione, *Von den Quellen der hebräischen Wortforschung*, quam Lexici Hebraici sui praeposuit editioni secundae et deinceps. — Porro, ut Orientales hosce homines poëticos rite intelligas, inprimis observanda tibi est ipsorum poësis, de qua, post LOWTH et JONES, eximie scripsit HERDER, *Vom Geist der Ebräischen Poësie*, cui adde L. DIBBETS, *De Hebraica poësi cum Graeca comparata*, in *Annal. Acad. Rheno-Traj.* a. 1817—1818. De Arabum vero poësi vide L. G. PAREAU, *De Trogaji carmine*, *Traj.* 1824, p. 34—67.

Specialiter Vetus Foedus Hebraicum recte cognosse debet Novi interpres, quia hinc maxime pendet uti materia, sic forma Novi. Qua in re observanda ei est lingua Veteris Foederis Hebraica, antiquitas Hebraica, historia Israëlitica, theocratia Mosaica.

Ut linguam V. F Hebraicam rite discas, inprimis utere Grammaticis, quas post N. G. SCHROEDERUM dederunt laudabiles W. GESENIUS, cum breviorem, *Hebr. Grammatik*, cujus editio 13 prodiit a. 1842, tum uberiorem, *Aüsfuhrliches Lehrgebäude der hebr. Sprache*, *Leipz.* 1817, et T. ROORDA, *Grammatica Hebraea*, II

Vol. *L. B.* 1831, 1833. Lexicis reliquis jam praeferenda videntur, GESENIUS, *Hebräisches und chald. Hand-Wörterbuch über das A. T.* ed. 4. 1834, ac J. SIMONIS, *Lex. manuale Hebr. et Chald.* ed. 4, a. WINERO curata, 1828. Dum multa etiam huc pertinentia discere possis ex GESENII opusculo, *Geschichte der hebr. Sprache und Schrift;* — ne de Chaldaïcis, Syriacis, Arabicis, caet. hîc dicamus.

De antiquitate Hebraea egregie scripserunt J. H. PAREAU, *Antiquitas Hebraica*, ed. 2 *Traj.* 1823, ac W. M. L. DE WETTE, *Lehrbuch der Hebräisch-Jüdischen Archaeologie*, ed. 3 *Leipz.* 1843.

De historia Israëlitica ac theocratia Mosaïca universe adhuc pretii magni est J. J. HESS, *Geschichte der Israëliten*, XII Tom.; nec pauca huc facientia exposuit H. MUNTINGHE, *Geschiedenis der Menschheid naar den Bijbel*, XI Tom. Rituum vero a Mose institutorum sacrorum naturam et consilium egregie nuper exposuit K. C. W. F. BAEHR, *Symbolik des Mos. Cultus*, II Tom. *Heidelb.* 1837, 1839.

Plerosque autem V. F. libros breviter illustravit E. F. G. ROSENMÜLLER, *Scholia in V. T.* ed. 3 *Lips.* 1821 et deinceps; itemque virorum doctorum (F. HITZIG, L. HIRZEL, A. KNOBEL, O. THENIUS, al.) societas, inde ab a. 1838 edens *Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum alten Testament.*

3) Quandoquidem non cum pure Graecis Hebraeisve res est Novi Foederis interpreti, sed cum *Judaeis*, ei esse etiam debet accurata rerum Judaicarum sive Judaismi cognitio. Nomine enim hoc complectuntur jam viri eruditi conditionem moralem et religiosam gentis Judaicae, e Babylonia reducis, usque ad Jesu Christi et Apostolorum tempora. Hujus autem Judaismi cognoscenda est primum historia, ut appareat, qua viâ exstiterit ille et creverit qualisque fuerit maxime Jesu tempore; deinde lingua, e versione V. Foederis Alexandrina et V. Foederis libris Apocryphis; denique cultus omnis, maxime moralis et religiosus. Est vero Judaismi origo

et natura quaerenda in elementis Hebraeis, Persicis, Graecis; eumque satis differre ab Hebraismo vel hinc liquet, quod careat pene poësi lyrica, qua etiam destitutum est Novum Foedus.

Judaismi universi, Hebraismo oppositi, nomen adhibuit, originem indicavit, naturam exposuit hucusque fere nemo, nisi DE WETTE, *Lehrbuch der christlichen Dogmatik*, T. I, §§ 76—82, quae inscribuntur, *Geschichte des Judenthums*, et §§ 142—206, *Lehre des Judenthums*.

Linguam, qua Alexandrini V. F. interpretes usi sunt, ad N. F. interpretandum primus adhibere docuit Hugo Grotius; quod nunc longe facilius fieri potest ope *Concordantiarum Graecarum*, a TROMMIO confectarum, ac *Lexicorum*, a BIELIO et SCHLEUSNERO editorum. Est vero ipsa illa lingua nondum satis explorata, optamusque omnino, ut plures prodeant libelli, qualem scripsit H. G. J. THIERSCHIUS, *De Pentateuchi versione Alexandrina*, *Erl.* 1841. Cultûs omnis, moralis ac religiosi et vero philosophi, qui hisce Judaeis fuit, fastigium invenis in Philone, aequali Jesu Christi, cujus opera nonnulla sunt legenda.

Caeterum satis inter se differunt monumenta Judaismi. Triplicis maxime sunt generis: I, Hebraeo-Judaica: 1 Maccab., Jesus Sirachides, Judith, in quibus particularismus theocraticus regnat ac levia modo sunt vitae futurae indicia (hinc natus est deinde Sadducaeismus); II, Persico-Judaica: 2 Maccab., Tobias, Baruch, Additamenta ad Danielem, in quibus invenitur doctrina resurrectionis, Daemonologia, portentorum studium (origo Pharisaeismi); III, Graeco-Judaica: Sapientia Salomonis, 3 et 4 Maccab., Philo, in quibus regnat doctrina immortalitatis, genius moralis, philosophia (Hellenismus). Reliqua vero monumenta Judaismi sunt magis mixta.

4) Quum tandem, quo tempore conscribebatur N. F. ac fiebant res in eo narratae, imperium Romanum Judaeam omnemque orbem cultiorem contineret, ac nos, Europaei occidentales, a Romanis cum religionem Chris-

tianam, tum sermonem, quo tradebatur, Latinum accepimus, neque *Latinae* linguae et antiquitatis expers apud nos esse potest N. F. interpres. Quod tamen ab omnibus sic agnoscitur, ut hîc pluribus explanare non sit necesse.

Quod vero ad omnia pertinet, quae hac § 31 attigimus: aliqua eorum cognitione eâque distinctâ opus habet Theologus quisque; at amplâ modo is, qui in hac praeparatione Novi Foederis recte interpretandi habitare velit atque sic inprimis prodesse Theologiae universae. Neque inepte agit, qui, Hermeneutam aut Interpretem agens, totum simul complectitur Codicem Sacrum, quippe unum quoddam arcte junctum. Quare etiam in hac Compendiorum nostra serie exstat *Hermeneutica Codicis Sacri.* Vel sic tamen, si *Theologum Christianum* spectamus, huic V. Foederis interpretatio est institutio praevia.

II. *Institutio absoluta.*

§ 32.

Undenam interpreti Novi Foederis sit incipiendum.

Non est incipiendum vel a Canone, qui dicitur, N. Foederis explorando, vel a lectione exempli Graeci critice constituenda, etsi multi viri docti haec primo praecipiant agenda. Neque enim juveni ea est mentis judiciique exercitatio, ut aut Canonem sibi constituat aut inter lectiones varias recte discernat. Sed incipiendum est interpreti juvenili a legendo Novi Foederis exemplo aliquo, quod vulgo optimum habetur, v. c. Griesbachiano, cujus libri tanquam N. Foederis libri sunt le-

gendi cujusque lectiones variae initio non sunt curandae. Verbo, incipiendum ab Exegesi, non a Canone vel Critica.

De Novi Foederis totiusque Scripturae Sacrae Canone agemus in Apologetica. Melius, quod ad Exegeseos et Critices vinculum attinet, quam plerique, egit. F. SCHLEIERMACHER, cujus exstat *Hermeneutik und Kritik mit besonderer Beziehung auf das neue Testament*, Berlin 1838.

A. *Quid doceat historia interpretationis Novi Foederis.*

§ 33.

Quam diversa hucusque fuerit Novi Foederis interpretatio.

Quo modo utendum sit exemplo Novi Foederis Graeco, primum quidem discere volumus magistrâ historiâ. Quam si audimus, nobis liquet, aliam aliamque identidem ortam esse ejus explicandi rationem. Praecipuae autem rationes sunt hae.

1) *Interpretatio allegorica*, quae hanc habet naturam, ut scriptorem ἄλλο τι ἀγορεύειν conetur ostendere, quam quod dicere videatur. Cf. Gal. 4: 20—31. Haec sedem habuit Alexandriae, cum jam antea inter Judaeos V. Foedus interpretantes, tum inter Christianos. In illis primarius est Philo, in his Origenes. Quod sit orta, adscribendum est indigentiae religiosae progressae, cui non amplius sufficiebat Vetus Foedus.

Illustratur haec origo e comparata Graecorum historia; nam et inter hos orta est allegorica mythorum interpretatio, quum non amplius his sufficeret religio praesens, quam tamen historice, ex antiquiore generis humani conditione, explicare nondum valebant. Cf. H. N.

VAN TEUTEM, *De origine et progressione apud antiquos allegoricae fabularum interpretationis*, *Traj. ad Rhen.* 1823. Quam arbitraria sit haec interpretatio, ostendit P VAN LIMBURG BROUWER, *Overzigt van de geschiedenis der Allegorische uitlegging van de Griekschc Mythologie*, *Amst.* 1843.

Caeterum ab *allegorica* interpretatione est distinguenda *symbolica* et *typica*, etsi hîc illic harum trium limites vix sint dignoscendi. Allegoria est quasi metaphora audacior et longior; sic v. c. metaphora est, quando homines impuri *canes* et *porci* dicuntur, allegoria foret, si Moses Israëlitas, ne suilla carne vescerentur, ideo vetuisset, ut ipsos ab impuritate dehortaretur. Symbolum est imago vel ritus vel aliud quid sensuale, sed quod non sui causa adest, verum spiritualis rei causa, cujus est indicium et quasi vestis. Typus est symbolum, sed propheticum, indicium rei spiritualis, quae aderit olim. — Uti vero allegorica interpretatio, id est interpretatio, quae ubivis temere allegorias sumit esse, prorsus est rejicienda, sic allegoriarum, symbolorum, typorum, ubi sunt, interpretatio omnino est admittenda. Cf. de hac re universe FR. CREUZER, *Symbolik und Mythologie der alten Völker, besonders der Griechen*, et specialiter, quod ad Mosaismum attinet, BAEHR, *Symbolik*, p. 44 cit.

2) *Interpretatio literaria*, cujus initium est *grammatica.* Hujus auctor est idem ille Origenes, primarium scholae Alexandrinae decus; ex hac vero schola orta est schola Antiochena, itidem literaria, sed non allegorica, e qua prodiit Chrysostomus; item schola Edessena, Antiochenae simillima, sed magis Orientalis, cujus ornamentum fuit Ephraim Syrus. Porro ad interpretes literarios pertinent Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, et inprimis Hieronymus.

3) *Interpretatio mystica*, allegoricae admodum cognata, sed ad animum purgandum omnia referens, placuit

Patribus multis, inprimis Latinis, cultorem vero eximium habuit Augustinum.

4) *Interpretatio ecclesiastica*, sese ad dogmata Ecclesiae componens, orta jam est aliquatenus, quum saeculo III, auctore maxime Irenaeo, nasceretur Ecclesia Catholica; crevit vero multum opera Conciliorum Oecumenicorum saeculi IV et V; in ordinem tandem redacta est ab Anselmo et reliquis Scholasticis, saeculo XI et deinceps.

5) *Interpretatio theologica*, id maxime spectans, ut interpretum theologia commendetur, statores cultoresque praecipuos habuit Nicolaum Lyranum, Erasmum, Lutherum, Melanthonem, Zwinglium, Calvinum, Bezam. Post hosce ultimos vero interpretatio *theologica* degeneravit in interpretationem *ecclesiasticam* novam.

6) *Interpretatio grammatico-historica* sensim locum ecclesiasticae novae occupavit, auctoribus Hugone Grotio, Wetstenio et Ernestio grammaticis, Semlero historico, Michaëli, Koppe, Abresch, Bosveld, Borger, de Wette, Fritzsche, Meijer, grammatico-historicis, Herdero et van der Palm aestheticis, van Hengel grammatico.

Ex his scriptoribus etiam nunc tironibus usui maximo esse possint HUGO GROTIUS, *Annotationes in N. F.*, J. A. ERNESTI, praecipue in *Institutione Interpretis N. T.*; P. BOSVELD, cujus exstant *Verklaring van Paulus brieven aan de Romeinen, Galatiërs, Ephesiërs, Kolossiërs, Thessalonikers*, et partium quoque Epistolarum ad Corinthios interpretatio; W. M L. DE WETTE, *Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum N. T.*; E. C. A. FRITZSCHE, *Comment in Euang. Matthaei, Marci et Ep ad Rom.*; H. A. W. MEIJER, *Kritisch-exegetischer Kommentar über das N. T.*; J. H. VAN DER PALM, qui totum Codicem sacrum Nederlandice reddidit et annotatione perpetua illustravit; W. A. VAN HENGEL, *Annotatio in loca nonnulla N. T.* et *Comment. in Pauli Epist. ad Philipp.*

Hujus vero interpretationis prouti non ab omnibus quidem, sed tamen a multis tractatur, et inprimis patrum memoria tractabatur, vitia acriter taxavit DE WETTE,

Ueber den Verfall der protest. Kirche in Deutschland (*Reformations-Almanach*, 1817, S. 353): »Die Flach»heit, Trockenheit und Gottlosigkeit der bisher geübten »sogenannten grammatisch-historischen Exegese kann »fortan nicht mehr genügen. Diese Exegese ist weder »*grammatisch*, denn sie mishandelt noch gar zu oft die »Sprache und kennt deren lebendige Gesetze nicht; »noch *historisch*, denn sie forschet nicht, sie lebt nicht »mit und in der Geschichte, und hat keine geschicht»liche Anschauung; sie verdient endlich nicht den Na»men *Exegese*, denn sie ist nicht des Heiligen Doll»metscherin, sie kennt und versteht es nicht. Durch »Vergleichung jüdischer Zeitbegriffe und rabbinischer »Stellen werdet ihr nicht in den göttlichen Geist des »Christenthums eindringen: denn noch niemand hat aus »dem Tode das Leben verstanden. Und häufet ihr auch »die Hülfsmittel der historischen Interpretation noch mehr »und bestimmt ihr Verhältniss zu einander nocht schär»fer; wo ihr nicht den eigenen Geist bereichert, und »den Blick zur lebendigen Anschauung zu erheben wis»set; so werdet ihr immer im Vorhofe des Heiligthu»mes stehen bleiben, und die Weihe nicht empfangen."

7) *Interpretatio mythica*, cujus patronus jam fuit Paulus Heidelbergensis, qui vero ipse eam dixit psychologicam, cultor notissimus est D. F. Strauss.

Hîc vel paullo ante etiam commemorare potueramus *interpretationem moralem*, Kantio auctore ortam. Vide IMM. KANT, *Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft*, inpr. p. 161 sqq. ed. alt., in quo libro quae habet N. F. de carne, spiritu, Filio Dei, regno Divino, sim. ad philosophiae suae moralis indolem et nutum torquet. Sed quum in libris potius philosophis, quam in exegeticis Kantii exemplum imitati sint nonnulli, hanc interpretationem moralem in transitu modo nominamus.

8) *Interpretatio psychologica*, quae auctores primarios habet Lücke et Olshausen.

Magnum et tironibus et doctoribus praebent usum F. LÜCKE, *Commentar über die Schriften des Evangelisten Johannes*, et H. OLSHAUSEN, *Bibl. Commentar über sämmtl. Schriften des N. T.*

Historiam hujus interpretationis uberrime exposuit usque ad Erasmum J. G. ROSENMÜLLER, *Hist. interpretationis librorum Sacrorum in Ecclesia Christ.* V Tom. 1795—1814. Quem scriptorem supplet G. W. MEIJER, *Gesch. der Schrifterklärung seit der Wiederherstellung der Wissenschaften*, V Tom. 1802—1808.

§ 34.

Quid ex historia hac sit derivandum.

Ex his omnibus liquet, semper sensisse Ecclesiam, se interpretatione N. F. carere non posse; nam affuit semper. Item interpretationem grammaticam esse debere interpretationis fundamentum, nec tamen sufficere solam; nam uti semper magis minusve affuit, aut, si evanuerat, est revocata, ita nunquam sola affuit.

Quantopere etiam nunc indigeat N. T. interpretatione accuratâ, populariter ostendit V. HENGEL, *Christ. Maandschrift*, 1844, X. Cf. Acta Synodi Reform. Nederl. 1844, p. 193 sqq.

B. *Quid doceat rei natura.*

§ 35.

Quid est interpretari?

Hoc est *interpretari*, si e verbis, quibus se ut signis manifestavit dicentis scribentisve mens animusque, in ipsius mentem animumque penetras et, quod in his est praecipuum, praecipuo loco inde efficis et explicas.

Ergo in interpretando non subsistendum est in verborum interpretatione, sed hinc incipiendum. Exemplo sit VAN

HEUSDE, qui, locupletissimus e schola Wyttenbachiana antiquitatis interpres, postquam accurate tractavisset Platonis verba, illa *Initia Philosophiae Platonicae* edidit.

Sed ut sic e verbis in dicentis mentem animumque penetres, verba exploranda sunt linguae illius, qua usus est scriptor, quam penitus nosse debet interpres. Recte SCHLEIERMACHER, *Kurze Darstellung des theol. Studiums*, § 126: »Da auch die meisterhafteste Uebersetzung »nicht vermag die Irrationalität der Sprachen auf zu »heben: so giebt es kein vollkommnes Verständniss »einer Rede oder Schrift anders als in ihrer Ursprache." Quam sententiam ita confirmat: »Unter Irrationalität »wird nur dieses bekannte verstanden, dass weder ein »materielles Element noch ein formelles der einen Sprache »ganz in einem der andren aufgeht. Daher kann eine »Rede oder Schrift vermittelst einer Uebersetzung, »mithin auch die Uebersetzung selbst als solche, nur »dem jenigen vollkommen verständlich sein, der sie auf »die Grundsprache zurükkzuführen weiss."

§ 36.

Quid sit interpretari Novum Foedus.

Si Novi Foederis explicas vocabula, interpretationem agis grammaticam; si porro plures, qui in eo occurrunt, dicentes scribentesque respicis, addis historicam; si in ipsorum inquiris mentem, logice exponis notiones et ratiocinia; si in eorundem penetras animum, psychologice exploras sensa et consilia. Praecipuum autem in hisce rebus omnibus hoc est, ut intime sentias et clarissime intelligas, quidquid dixerit et egerit Jesus Christus, ac qualis quantusque fuerit ac sit ipse Jesus.

Ergo interpretari Novum Foedus significat hoc explicare grammatice, historice, logice, psychologice, idque a Theologo Christiano agendum (§ 24) quadruplici hoc modo ita, ut semper ducatur consilio Christiano; ac prouti interpretationis fundamentum est ponendum, quod est grammatica, sic numquam negligendus est ejus finis

supremus, nempe hic, ut a nobis, semper ad consilium Christianum spectantibus, omnia referantur ad Jesum Christum melius cognoscendum.

§ 37.

Partium, quibus constat Novi Foederis interpretatio, prima, quae est grammatica.

Liquet e § 36, diversas esse interpretationis Novi Foederis partes, earumque primam esse grammaticam, quae versatur in vocabulis explicandis.

Constituunt haec vocabula Novi Foederis suâ quaeque notione sumta suoque modo flexa et juncta, linguam quandam privam, quae dicitur *Hellenistica*, quaeque hoc habet privum, ut sit dialectus communis Graeca (ἡ κοινὴ διάλεκτος) ab Hebraeis hominibus, ut Hebraea efferat sensa et cogitata, in usus suos adhibita et immutata. Ejus fontes igitur sunt cum lingua Graeca, tum lingua et antiquitas Hebraea, inprimis lingua et antiquitas Judaica; ejusque penitus cognoscendae adjumenta sunt non minus N. Foederis versio Syriaca, quam V. Foederis versio Alexandrina, atque utriusque Foederis libri Apocryphi et Pseudepigraphi.

Cf. § 31. Hujus linguae N. Foederis naturam primus bene exposuit H. PLANCK, *De vera natura atque indole orationis graecae N. T. commentatio*, *Gott.* 1810, post quem brevius eam explicuit G. B. WINER, *Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms*, ed. 4 p. 21—41.

Tria vero sunt, quae in hac lingua N. Foederis intelligenda maximi sunt ponderis: 1) *vocabulorum notio*, quae Lexicorum ope est indaganda; 2) *vocabulorum flexio et conjunctio*, quae Grammaticorum librorum auxilio est exploranda; 3) *vocabulorum usus singulis N. Foederis scriptoribus privus*, qui attentâ scriptorum singulorum lectione est observandus.

In Lexicis longe eminet C. G. BRETSCHNEIDERI *Lexicon Manuale*, cujus editio tertia prodiit *Lipsiae* 1840.

Desideratur tamen adhuc Lexicon N. F., quod vocabula, quae ad vitam internam Christianam spectant, non enervet. Quale lexicon prorsus probandum demum exsistere poterit, quum aderint primum lexica particularia, inprimis Paulinum et Johanneum; uti universae linguae Graecae aderit demum lexicon bonum, postquam exemplo v. c. Schweighäuseri, qui Herodoti, Schneideri, qui Xenophontis, Astii, qui Platonis opera lexicis explicuerunt, lexica edita sunt praecipuorum scriptorum Graecorum omnium. In libris Grammaticis longe praestat WINERI *Grammatica*, modo citata, quae quintum edita est *Lipsiae* 1844. De vocabulorum usu, singulis N. Foederis scriptoribus privo multa bene monuit C. G. GERSDORF, *Beiträge zur Sprach-Characteristik der Schriftsteller des Neuen Testaments*, cujus Tomus primus modo prodiit in lucem *Lipsiae* 1816.

Maxime autem in hac grammatica et historica etiam interpretatione est curandum, ne a consilio aberres Christiano, ita ut quaevis, quae forte et casu occurrunt, longe lateque explices.

§ 38.

Altera, quae est historica.

Grammaticam interpretationem excipiat *historica*, quae est rerum interpretatio, non e sensu nostro, sed ex Antiquitatis ratione, ita ut aetatis illius fata et indolem, atque modum, quo aetate eâ de variis rebus cogitabant homines, bene perspiciamus. Duplex est ejus officium; nam homines illustrat generatim omnes et specialiter singulos, qui ibi occurrunt, quod duplex officium haud est confundendum; quum a sua quidem aetate aliquatenus pendeant homines omnes, sed Apostoli et inprimis Jesus longe etiam supra aetatem eminerent. Ut utroque officio bene fungaris cum pernoscenda tibi est historia, geographia, antiquitas Judaica, quae tempore Jesu fuit, et antiquitas Christiana, quae paulo post est orta; tum lectitandi sunt iterum iterumque scriptores singuli ac hi secum et cum reliquis comparandi.

Ad antiquitatem illam omnem bene noscendam, quatenus eâ in N. F. explicando opus est, multum juvat G. B. WINER, *Biblisches Realwörtelbuch*, ed. 3 *Leipz.* 1847, 1848, cujus duobus Tomis jam breviter, nec tamen semper concinne, continentur, quae per multa magnaque volumina scriptorum diversissimorum erant dispersa. Cf. etiam, quos citavimus supra p. 44. Singulorum scriptorum fata, itemque stilum et ingenium illustrant multaque de ipsis N. F. libris scitu digna collegerunt hi, qui Patrum memoria *Introitus in N. T.* scribere aggressi sunt, Michaëlis, Haenlein, Eichhorn, alii, e quibus maxime commendandi sunt juvenibus propter elegantiam J. L. HUG, *Einleitung in die Schriften des N. Test.* II Tom, et propter brevitatem et ubertatem simul, W. M. L. DE WETTE, *Lehrbuch der historisch kritischen Einl. in die Bibel A. und N. T.* II Tom. ed. ult. 1845, 1848. — Caeterum haec Introitûs in N. T sive disquisitio sive disciplina, utilis quidem est, sed certo ordine et principio caret; imo non adeo disquisitio est, quam collectio notitiarum historicarum, quibus ad rite utendum Novo Foedere opus habes. Rei principium invenit et ordine apto ejus expositionem dedit demum E. REUSS, *Die Geschichte der Heiligen Schriften des N. T. Halle* 1842. Sic vero in orbem eruditum revocavit nomen, quo jam usus erat doctissimus RICH. SIMON, qui primus de hisce rebus inde ab a. 1685 edidit disquisitiones easque dixit *historias*. Cf. ejus *Histoire critique du V. T.*, *Histoire critique du texte du N. T.*, *Histoire critique des versions du N. T.*, *Histoire critique des principaux commentateurs du N. T.*

§ 39.

Tertia, quae est logica.

Grammaticam et historicam Novi Foederis interpretationem sequitur *logica*, quae dicentium scribentiumque mentem explorat, et exponit, quae eorum sunt notiones et ratiocinia. Est autem etiam hujusce interpretationis

officium duplex; generale, ut universam hominum, qui tum vivebant, cogitandi sentiendique rationem explicet, speciale, ut singulorum, qui in N. Foedere occurrunt, hominum mentem exponat, inprimis Jesu et Apostolorum, quorum mens ab aequalium mente differebat multum. Oritur igitur praecipue ex accurata N. Foederis singularumque ejus partium meditatione, quippe quae sola docet, quaenam ipsorum illorum hominum fuerint ratiocinia.

Generale illud egerunt multi; nonnulli etiam hoc speciale officium, v. G. C. W. STRONCK, *De doctrina et dictione Johannis Apostoli ad Jesu magistri doctrinam dictionemque exacte composita*, *Traj. ad Rhen.* 1797; inprimis Apostoli Pauli mentem interpretati sunt bene multi; v. G. C. L. BAUER, in *Logica Paullina*, *Halae* 1774, item in ejusdem *Philologica Thucydideo-Paullina*, *Halae* 1773, L. USTERI, *Entwickelung des Paullinischen Lehrbegriffs*, ed. 4 *Zurich* 1832, A. J HAMERSTER, *Diss. de Lege ex Pauli sententia*, *Gron.* 1838.

Non sufficere interpretationem grammatico-historicam, sed accedere debere ulteriorem, plures sensim magis agnoscunt Theologi. In his (post de Wette supra p. 50) est interpres Pauli sagax, USTERI, *Comm. über den Brief an die Galater*, p. VI: »Das grammatisch-historische Princip »dünkt mich nur erst die *conditio sine qua non* oder das »negative Regulativ der Auslegung zu sein; die positive »Aufgabe des Exegeten scheint mir darin zu bestehen, »sich gleichsam ganz in den Geist des Schriftstellers »niederzusenken, um dann das Bild desselben, wie es »sich unter örtlichen und zeitlichen Bedingungen in der »Schrift abspiegelt, sprachlich und sachlich erleuchtet, »vor den Augen des Lesers emporsteigen zu lassen."

§ 40.

Quarta, quae est psychologica.

E grammatica et historica ac logica interpretatione nascitur *psychologica*, quae in singulorum dicentium

scribentiumque penetrat animum, atque haec, quae ibi recondita sunt, cum sensa tum consilia eorumque causam, in lucem trahit. Nascitur vero tum demum, quando eo usque te in alîus cujusque insinuavisti animum, ut te in ipsius posueris locum, nec modo ratiocineris, sed etiam sentias, prouti ille ipse ratiocinatur ac sentit, verbo, quando ipse factus es quasi alter ille.

Eleganter id a nobis dicitur *verstaan*, a Germanis *verstehen*. F. A. KRUMMACHER, *Ueber den Geist und die Form der Evangelischen Geschichte*, p. 8, 9: »Die »specielle Auslegung sucht demnach nicht blos die »Worte und Ausdrücke eines andern, sondern viel»mehr *ihn selbst* zu verstehen und zu begreifen. Denn »zwischen beyden ist ein wesentlicher Unterschied. »Ersteres geschieht, wenn man blos mit den Worten »eines andern einen richtigen Sinn verbindet, so dass »man diese dem Inhalt nach in seiner eigenen Sprache »und Weise ausdrücken und wiedergeben kann. Man »*versteht aber einen andern*, wenn man zugleich ein»sieht, aus welchen subjectiven Gründen er sich gerade »solcher Worte und Ausdrücke zur Bezeichnung der »Facta seines Innern, seiner Gedanken und Empfindun»gen bedient habe, und hiedurch seine Individualität »und [die] Subjectivität seines Gemüthzustandes auffasset; »oder *jemand verstehen* heist, die Facta eines fremden »Gemüths vermittelst der Darstellung desselben vom »demselben in sich reproduciren. Das deutsche Wort »*Verstehen* drückt dies vielleicht aus, wenn man auf des»sen etymologischen Ursprung zurückgeht. Es heist »dan soviel, als, an jemandes Stelle stehen, sich mit »ihm identificiren, so wie nach der Analogie *jemand* »*vertreten*, z. B. vor Gericht, d. h. ihn repräsentiren. »So auch das griechische *συνίεναι*, eigentlich mit jemand »Eins, Eine Person werden. Das lateinische *intelligere* »ist eigentlich *intus* oder *interiora legere*, das Innere »auffassen." Ad interpretationem autem hanc psychologicam in ipso hoc libro Krummacher, vir ingeniosissimus, symbolas egregias attulit. Nec negligendus E. A.

BORGER, *De constanti et aequabili Jesu Christi indole, doctrina ac docendi ratione, sive commentationes de Euangelio Joannis cum Matthaei, Marci et Lucae Euangeliis comparato*, cujus libri particula I modo prodiit *Hagae Com.* 1816. Cf. inprimis etiam W. A. VAN HENGEL, *Verh. over den invloed der karakters en denkwijze van de Evangelisten en Apostelen op derzelver schriften*, in Opp. Societ. Teyler. Theol. T. XXVII, et E. J. DIEST LORGION, *Diss. de dicentibus scribentibusque, speciatim in N. T. occurrentibus, suo convenienter ingenio interpretandis, Gron.* 1836. Item haud parum etiam nunc juvabit H. A. NIEMEIJER, *Characteristik der Bibel*, V Tom.; nec negligendi scriptores Introituum, de quibus vide § 38, inter quos vero reliquis hoc quidem respectu palmam praeripit HUG, *Einl.* T. II, quo in singulos N. F. libros introitum exhibet.

Magnum autem hujus interpretationis psychologicae pretium ac pondus est in Jesu ipsius verbis factisque intelligendis, quippe sine ea haud raro prorsus obscuris. Saepe enim, ut hoc unum afferamus, Jesus non respondet interrogantium verbis, sed eorundem animo soli, v. c. Joh. 3: 2, 3, 4: 15, 16, 12: 20—26.

§ 41.

Consilium in his omnibus spectandum Christianum.

Quadruplicem autem hanc interpretationem (§ 37—40) non volumus, ut ei superstruamus jam interpretationem vel allegoricam, vel ecclesiasticam, vel etiam theologicam (§ 33); nec quoque ea, quantâcunque eruditione peracta, nobis sufficit, si haereat in vocabulis, in historia, in notionibus, in animo ipso singulorum omniumque, qui in N. F. occurrunt; verum haec omnia sunt tractanda consilio Christiano, atque his omnibus uti volumus tanquam mediis, unde semper adscendamus ad id, quod praecipue est intelligendum, ad Christum Jesum ipsum. Nam tum demum consilio, hominibus Christianis digno, N. F. interpretamur, si hujusce inprimis rei adjumento vitam Jesu Christi rectius intelli-

gamus, ut melius eam in nobis fovere et alere possimus. Cf. § 4—6.

Ut vero Jesum melius intelligamus, in N. F. interpretando attendendum est 1) ad *Jesum Christum*, prouti se ipse patefacit, referentibus Euangeliorum scriptoribus et significantibus Actorum Apostolicorum et Epistolarum scriptoribus; 2) ad *doctrinam de Jesu Christo* eamque variam, cum in Euangeliis jam quodammodo, tum maxime in Actis et Epistolis obviam.

Quo melius Jesu historiam intelligamus Jesuque indolem perspiciamus, inservire possunt inprimis scripta edita a J. J. HESS, quae in ultima operum ejus editione (*Zürich* 1826) dicuntur *Lebensgeschichte Jesu*, III Vol., et *Lehre, Thaten und Schicksale unsers Herrn*, II Vol.; adde A. NEANDER, *Das Leben Jesu Christi*, ed. 3 a. 1839. Nec neglige, unde Jesu cum consilium tum indolem interius perspicias, F. V. REINHARD, *Versuch über den Plan, welchen den Stifter der christl. Religion zum besten der Menschen entwarf*, ed. 5 *Wittenb.* 1830, F. L. J. RAU, *Oratio de Jesu Christi ingenio, per comparationem cum Pauli ingenio illustrato*, *L. B.* 1798, et C. ULLMANN, *Ueber die Sündlosigkeit Jesu*, ed. 5 *Hamb.* 1846. Quae omnia opera etiam Nederlandice sunt reddita; REINHARDI quidem sic, ut, eximiis annotationibus auctum a J. L. WOLTERBEEK, curis iteratis sit editum *Gron.* 1837. Cum de Jesu vita, tum de ipsius consilio et indole breviter agit, sed ita, ut libros citet multos et meditationem lectorum magnopere excitet, K. HASE, *Das Leben Jesu*, ed. 3 *Lips.* 1840. Nonnullas in Jesu vita res memorabiles etiam illustrat J. J. VAN OOSTERZEE, *Het leven van Jezus*, *Utrecht* 1846 et deinceps; item huc referendus est C. H. VAN HERWERDEN, CHZ., *Het Evangelie van Johannes, in deszelfs schoonheid beschouwd*, *Gron.* 1835 et deinceps, qui non modo Johannem aesthetice interpretatur, verum, ut hoc agat, praecipue etiam Jesum conspiciendum praebet.

Distinguendum vero est in N. F. *testimonium* de Jesu

Christo historicum, unde ipse cognoscitur, et *judicium* de eodem philosophum, quo ejus praestantia exponitur. Quamvis enim in hoc judicio nullus sit error, omnem tamen Jesu excellentiam Divinam capere nullus unquam potuit homo. Cf. Eph. 3: 2—4, 19.

Etsi vero hoc sibi praescribere debeat interpres, ut, quantum fieri possit, sine ullo praejudicio Jesum doctrinamque de Jesu intelligere conetur, semper tamen in hac intelligentia pendebit a religioso sensu et philosophis ideis, sibi propriis, sine quibus ad N. F. nec potest nec vero debet accedere. Cf. § 30. Ita vero hac in re agat, ut hunc ipsum sensum et has ideas legendo N. Foedere sensim magis perficiat.

§ 42.

Critices quaenam sit cum interpretatione Novi Foederis conjunctio.

Critica dicitur lectionis inquisitio et constitutio; quam exercere quidem nemo potest, nisi qui est interpres probabilis (§ 32); sed qua interpres etiam carere nequit. Nam oportet sane, ut constet nobis, num revera *scriptorum* N. Foederis, an *librariorum* verba interpretemur.

Critica hîc sumitur sensu strictiore, quo saepe *critica humilior* vel *critica textûs* dicitur, opposita *criticae sublimiori* vel *criticae rerum*. Cf. CLARISSE, *Encycl.* § 57. Quin et plura complecti potest vox *critica*, veluti quando D. RUHNKENIUS, in *Elogio Tib. Hemsterhusii*, hunc describit criticum perfectum, id est antiquitatis interpretem, qui judicio subacto omnia explanat.

Nulla autem pene est res, cujus abusus tempore recentiore fuit major, quam *criticae sublimioris*, inprimis qualis in Germania exercetur. Revera humilis est, nihil non arbitrio definiens Critici cujusque, ergo apud alium prorsus alia; neque dijudicat, sed lacerat libros antiquos. Recte E. RÖTH, *Die aegyptische und zoroastrische Glaubenslehre*, p. 29: »Und doch ist diese Art »der Kritik, gleichsam zum Hohne die *höhere* genannt, »seit dem letzten Jahrhundert bis auf die Gegenwart die

»herrschende gewesen, und hat durch ihre negatif »zerstörende Richtung eine Reihe von verdammungs- »urtheilen über frühere und spätere Werke des Alter- »thums zum Vorschein gebracht, blos weil diese in die »Vorstellung, welche sich die Kritiker von dem Alter- »thum gebildet hatten, nicht hinein passten. Wir wollen »diese subjektive Kritik mit einen deutschen und deut- »lichen Namen die Kritik der Beschränktheit nennen, »weil so verschieden auch die einzelnen Ansichtsweisen »sind, aus denen sie hervorgegangen, doch diese alle »darin übereinstimmen, dass sie den beschränkten per- »sönlichen Standpunkt des Einzelnen zum Maasstabe der »Erscheinungen machen"

Necesse est, ut hujus *criticae altioris*, supra argumentum evolantis, locum occupet *critica profundior*, in argumentum penetrans. Quam ob rem ab interpretatione ad Criticam et Canonis constitutionem, non ab his ad illam, est progrediendum. Cf. § 32.

Intelligendum est, quaenam sit Critices N. F. historia, quaenam subsidia primaria, quaenam lex praecipua.

Historia huc redit: Quum olim essent Codices Manuscripti saepe varii, eos critice castigarunt cum Origenes, tum nonnulli aequales ipsius; post quos N. Foedus Graece ex Manuscriptis accurate collatis typorum ope primus edidit Erasmus. Mox exstiterunt Biblia Polyglotta; editiones Roberti et Henrici Stephani; post hos regnavit exemplar receptum; quod, multis obloquentibus, emendarunt Millius, Wetstein, Griesbach.

Griesbach inprimis etiam bene meruit Codicum MS. familiis distinguendis, quas accuratius etiam deinde distinxit HUG, *Einl.* T. I. Sunt enim alii Codices MS. critice non purgati; sunt alii aliquatenus purgati, vel ad familiam Alexandrinam, vel ad Antiochenam, vel ad Constantinopolitanam referendi; sunt alii indolis mixtae. Codicum, quales plerique saeculo IV et V fuisse videntur, exemplum exstat in *N. T. Graece ex rec.* C. LACHMANNI, *Berol.* 1831, cui criticum apparatum jungere in-

cepit a. 1842. Nonnulli etiam Codices celebriores eâdem formâ, qua manu olim exarabantur, nunc typis sunt descripti vel depicti, veluti *Nov. Test. Graec. e codice Alex. a* A. G. WOIDE, *Lond.* 1786; *XIII Epistolarum Pauli Codex ed. a* CHR. FRID. MATTHAEI, *Misenae* 1791; *Codex Theod. Bezae Cantabrigiensis Euangelia et Apostolorum Acta complectens, ed.* TH. KIPLING, *Cantabr.* 1793; *Euang. sec. Matthaeum ex codice rescripto, opera* JOH. BARRET, *Dubl.* 1801; *Antiquissimus quatuor Euang. Canon. Codex Sangallensis, cur.* H. C. M. RETTIG, *Turici* 1836; *Codex Ephraimi Syri rescriptus. Eruit atque edidit* CONST. TISCHENDORF, *Lips.* 1843. Horum nonnulli etiam a juvenibus, Critices faciundae studiosis, omnino sunt adeundi.

Subsidia Critices cognoscendae primaria invenis in libris *Introitum* in N. F. exhibentibus, qui de Manuscriptis Codicibus et editionibus typorum ope divulgatis praecipuis multa referunt.

Cf. maxime HUG, *Einl.* Tomo I, generalem in N. T. introitum continente.

Lex Critices exercendae lectionisque constituendae inprimis duplex est, primo ut inquiras, cur haec illave immutatio putari possit a librariis facta; deinde, ut ex scriptoris mente atque indole videas, quid probabiliter ab eo profectum sit.

Pauca modo injungimus hac in re ab omnibus certe praestanda Theologis; quum enim Critices ambitus sit immensus, hîc inprimis discrimen est observandum inter hoc, quod Theologus agere necessario debet quisque, et quod is, qui hac in re reliquis facem praeferre velit possitque.

Cf. SCHLEIERMACHER, *Kurze Darstellung des theol. Stud.* § 122—124. De omni hoc Critices negotio vide J. HERINGA, EZ., *Vertoog over het vereischt gebruik en hedendaagsch misbruik der Kritiek, in de behandeling der H. S.*, inter Opp. Societatis Haganae a. 1790.

§ 43.
Hermeneutices cum interpretatione conjunctio quaenam.

Hermeneutica est theoria artis interpretandi, quae, si antecedit praxin vel ab hac est sejuncta, vulgo vana est theoria, quae vix intelligitur usumque paene nullum habet. Sin praxin sequitur vel cum ea est conjuncta, usum praestat maximum. Nam eâ carere possunt lectores interpretesque vulgares; non item hi, qui philosophice intelligere debent tam causam, cur, quam consilium, quo N. Foedus interpretentur.

Hinc in Academiis Hermeneutica docetur; nata vero demum est post Ecclesiam saeculo XVI emendatam. Haec enim Ecclesia quum exstitisset Novo Foedere Graeco, ab Erasmo edito, a Luthero vernacule reddito, ab his aliisque explicito, mox sensum est, vindiciis opus esse philosophis, quibus Euangelii interpretationem tueretur Ecclesia Euangelica et promoveret magis magisque. Sic ergo orta est Hermeneutica, cujus statores cultoresque praecipui sunt Flacius Illyricus, Franke, Rambach, Ernesti, Morus, Semler, Keil, Seiler, Schleiermacher, Lücke, Clausen.

Ex his memorabiliores sunt MATTHIAS FLACIUS ILLYRICUS, cujus *Clavis Scripturae Sacrae* primum edita est a. 1567; porro etiam nunc usum tironibus majorem praestare possunt ERNESTI, cujus *Institutio Interpr. N. T.* jam citata est p. 49; S. F. N. MORUS, *Super Hermeneutica N. T. acroases*, II Vol. *Lips.* 1797, 1802; G. F. SEILER, *Bibl. Hermeneutik*, qui liber nomine *Bijbelsche Uitlegkunde* annotatione et additamentis auctus Nederlandice editus est a J. HERINGA, E. F. *L. B.* 1804; F. LÜCKE, *Grundriss der neutest. Hermeneutik*, *Gött.* 1817. Quo modo nobis videatur tractanda, vide in L. G. PAREAU, *Hermeneutica Codicis Sacri*, *Gron.* 1846.

Hujus vero artis, cujus prima lineamenta videas § 37—40, natura et indoles haec est, ut N. Foederis Hermeneutica sit eadem, quae omnium scriptorum

profanorum, sed applicata ad N. Foedus. — Exstat enim praeter hanc N. F. Hermeneuticam etiam Hermeneutica generalis, cujus illa proprie est pars; etsi pars haec specialis ante generalem disciplinam sit exculta. Haec autem quum sit Hermeneuticae N. F. cum Hermeneutica generali necessitudo, optimi N. F. interpretes semper fuerunt hi, qui, animo studioque vere Christiano praediti, scriptorum profanorum lectione assiduâ bene erant exercitati, Origenes, Chrysostomus, Erasmus, Melanthon, Hugo Grotius, Ernesti.

§ 44.

Academicae institutionis in Novo Foedere interpretando consilium et methodus.

Quando in scholis Academicis N. Foedus a magistro et discipulis tractatur, hujusce rei consilium esse nequit, ut ab illo his tradatur *interpretatio* parata: haec enim in libris multis jam exstat: sed consilium potest modo hoc esse, ut discipuli discant *interpretari* ipsi. Cf. § 19, not.

Ergo interpretationis hujusce methodus erit haec, ut in Academiis adsit virium juvenilium exercitatio et periclitatio, in qua, ut rectum finem inveniant, adjuventur discipuli a magistro.

Socratica methodus universe nusquam magis apta est, quam hîc. Cf. § 22, 3; adde WYTTENBACH, *Select. Princip. Hist.* p. 25 sqq. *Praef.*

Ut vero haec methodus bene tractetur, magister optimos quosque consulat interpretes, quorum ope se scholis suis praeparet; ac discipuli se praeparent Lexici et Grammaticae uniusque forte Commentarii ope. Alterum jam negotium idque gravissimum est illud in scholis exercitium, in quo discipuli, magistro duce, sese exerceant ipsi. Magister autem non modo eos interpretari doceat; sed etiam ejus causas (leges Hermeneuticas) iis ostendat, lectionique constituendae (Crisi faciendae) eos assuefaciat. Tandem discipuli hoc, quod in scholis tractarunt, repetant iterum iterumque, ac continuâ occupati sint lectione scriptoris, in quo interpretando versantur.

Omnino cavendum est discipulis, ne commentarios aut plures aut vel unum cito adeant. S. GAUSSENUS, *Diss.* (supra p. 32 cit.) p. 20, 21: »Illud est quod ego soleo studiosis usque ad fastidium inculcare, ut ad commentarios non adeant, quin prius illis aqua haereat, neque ultra possint in loci examine, proprio remigio, pergere. — Caeterum, cum Commentatores dico, eos intelligo, qui Scripturam brevibus, et ad sensum literalem accommodatis, observationibus illustrarunt; non qui occasione Scripturae, scholas suas (quas Locos Communes vulgo vocant) in medium protrudunt; quibusque adeo libri sacri non tam sunt commentationum argumentum, quam praejudiciorum loci quidam atque indices."

Lexici vicem saepe tenere potest *concordantia*, cujus ope videas, quibus aliis N. F. locis, inprimis apud eundem scriptorem, vocabulum idem occurrat; itemque *concordantia* versionis Graecae V. F. p. 45 cit. N. Foederis Concordantiae edita sunt cum ab aliis, tum ab HENR. STEPHANO, *Paris.* 1594, melius ab ER. SCHMIDIO, *Wittenb.* 1638, optime a G. H. BRUDER, *Lips.* 1842. Commentarii vicem non raro explet index locorum parallelorum, qui in pluribus N. T. editionibus invenitur, praecipue in editione, quae prodiit Amstel. ex officina Wetsteniana a. 1711 et iterum a 1735, curata a. G. D. T. M. D. (GERARDO DE TRAJECTO MOSAE Doctore, sive GERARD VAN MASTRICHT), quae maxime in Epistolis Paulinis egregium praestat usum.

Nihil vero vel parum praestabit in scholis exercitium, nisi iis accurate se praeparent discipuli multumque repetant, quae iis exposita sunt loca. Repetitionis, matris studiorum, laudator summus est Wyttenbachius, qui eam non modo rationibus commendavit, sed et illustri suo exemplo, quum, quos in Graecis literis fecisset progressus, maxime attribueret »salutari repetitionis consilio, numquam satis praedicando." Vide WYTTENBACH, *Select. Princ. Hist.* p. 29—36 *Praef.*

Gravis aliquis error, qui doctrinae verae omni maximopere nocet aevo recentiore, prorsus regnat penes multos in N. F. interpretando, nempe opus esse librorum multitudine, quae tamen distrahit animum! Antiquo et medio aevo hactenus feliciores erant homines, quod libris multis uti non possent ideoque minus aliorum cogitata ediscerent, meliusque se exercerent ipsi ac potius discerent cogitare ipsi. Typographia hoc respectu revera multum nocet, sed hominum abusu. Perspexit hoc damnum jam suâ aetate LUTHERUS, hoc edens votum, Opp. ed. WALCH. XXI, 855: »Ich wollte, dass keine »Auslegebücher wären, und die Schrift allein überall »herrschte, und *mündlich erklärt würde.*"

SECTIO II.

DE HISTORIA ECCLESIAE.

I. *Institutio praevia.*

§ 45.

Institutio Theologi, in historiam Ecclesiae inquisituri, praevia, formalis.

Non sufficit, ut Jesum Christum ex Euangeliis noverimus, ac si per octodecim saecula vivere et agere non perrexerit. Addenda est ergo Ecclesiae historia. Theologus vero, ut in Ecclesiae historiam inquirat, vel etiam ut eam a Magistro enarratam bene intelligat, rite praeparatus esse debet. Praeparatio ejus formalis haec esto:

1) *Verum quaerere ac discere verum discernere* debet, partium studio omni liber. Nam in historiâ regnat Critica.

Cf. *Elogium Tiberii Hemsterhusii*, in quo RUHNKENIUS perfectam Critici formam in Hemsterhusio spectandam exhibuit. SCHLEIERMACHER, *Theol. Stud.* § 155: »Wie »im gemeinen Leben so auch im wissenschaftlichen »Gebiet verfälscht ein aufgeregtes selbstisches Interesse, »mithin auch jedes Parteiwesen, am meisten den ge-»schichtlichen Blikk."

Nec tamen partium studio duci est, bonum amare, sanctum, Divinum; sine quo amore quae maxime prae-

clara sunt in Ecclesiae historia non discernuntur neque intelliguntur. Quid? quod hoc amore flagrabant, qui optimi sunt historici (Tacitus, Joh. v. Müller).

2) *Veri in historia discernendi facultas* igitur ei esse debet, quae profluit maxime ex multorum hominum cognitione et usu, ideoque in juvene adhuc adolescente longe minus solet adesse, quam in viro experientiâ edocto.

Sic Principum decreta optime intelligit, qui in Principis alicujus vixit aliquamdiu aula; Conciliorum, qui aliquando Conciliis interfuit.

3) *Memoriâ* bene exercitatâ et *phantasiâ* etiam ei opus est vivida et facili, sed philosophâ meditatione directa, qua se in regionum, temporum, hominum omnium, diversissimorum quoque, res transferre possit. Quod uti in interpretando N. Foedere jam erat necesse (§ 35—38), sic magis etiam in historia Ecclesiae tractanda.

Franci, vividi sed non philosophi, hoc vix valent facere, unde versiones librorum peregrinorum ab ipsis confectae parum accuratae et sincerae solent esse. Rem hanc neglexit criticus Bibliorum ineptus VOLTARIUS, in libro *La Bible enfin expliquée.* Plane contrarius his erat summus Wyttenbachius, qui, »literis antiquis tractandis quasi antiquus erat factus," ut de eo scribit V. HEUSDE, *Epist. ad Creuzerum*, praefixa *Initiis Philos. Platon.* I, 13.

§ 46.

Institutio Theologi, in historiam Ecclesiae inquisituri, praevia, materialis.

Theologi, ad Ecclesiae historiam accedenti, nota esse debet:

1) *Historia gentium* cum omnium, tum maxime Hebraeae, Graecae, Romanae, quod ad gentes antiquas attinet, gentium Germanicarum, quod ad recentiores pertinet; quia hae gentes constituunt scenam, in qua res Christiana agitur.

2) *Historia artium, literarum, legislationis, philosophiae, religionis.* Quae pertinent omnia ad historiam

gentium; sed hujus historiae partem interiorem constituunt, quae inprimis cognita esse debet Theologo.

3) *Historia humanitatis.* Quae exhibet eum historiae universalis conspectum, quo maxime opus est Theologo, ut videat, quomodo genus humanum Divinitus sit praeparatum, ut Jesum Christum reciperet, et quomodo genus humanum per Jesum Christum sit regeneratum ad humanitatem praestantiorem magis magisque assequendam.

Cf. verba Johannis von Müller § 2 citata. Idem autem jam vidit schola Alexandrina, eruditione Gentilium non minus, quam religione Christianâ imbuta; idem indicavit Paulus, qui Gal. 3 et 4 genus humanum descripsit tanquam minorenne et puerile ante Jesum, sed per hunc majorenne et sui juris factum. Quin et ipse Jesus similia hîc illic jam significavit, Matth. 5: 21, 22, 27, 28, caet., 15: 11—13, 19: 4—8, Joh. 7: 22, 23. — Multum ab hac operum Divinorum aestimatione differt angustia Methodistica, qua imbutus v. c. Milner in ipsa Ecclesiae Christianae historia enarranda in iis modo Christianis agnovit Dei spiritum eosque modo homines *Christianos* dicere voluit, quos etiam Methodistas appellare possis.

Caeterum historiam gentium sic, ut Theologo fructuosa esse possit, inprimis narravit idem JOH. VON MÜLLER, *Vierundzwangig Bücher allgemeiner Geschichten, besonders der europäischen Menschheit*, III Tom., quod opus cum additamento eximio, historiam ad nostros usque dies persequente, Nederlandice edidit N G. VAN KAMPEN; cui adde PH. W. VAN HEUSDE, *De school van Polybius of Geschiedkunde voor de negentiende eeuw*, *Amst.* 1841, qui liber etiam inscribitur, *Proeve eener geschiedenis des menschdoms en der menschheid.* Neque neglige HEERENII opera, *Historische Werke*, XV Tom. Hi enim Triumviri, sed et multi alii, inprimis etiam spectant historiam artium, literarum, legislationis, philosophiae, religionis. Historiae autem humanitatis interpres hucusque elegantissimus est J. G. HERDER, *Ideen*

zur Philosophie der Geschichte der Menschheit, IV Tom. Theologis vero valde prodesset, si quis nostrae aetati et Ecclesiae Euangelicae conveniens scriberet opus, quale suae aetati et Ecclesiae suae conveniens scripsit J. B. BOSSUET, *Discours sur l'histoire universelle*, quo sibi exponendas sumsit religionis perpetuitatem et rerum humanarum vehementius immutatarum causas, ut Dei sapientiam in regunda religione admiremur, hominumque affectus in rebus suis agendis perspiciamus. Quas res duas non juxta se ponat, sed conjungat, qui scribere aggrediatur hucusque desideratam historiam generis humani a Deo instituti. Eam institutionem in antiqua historia a Deo curatam, ut religionem Christianam deinde amplecti posset genus humanum, ob oculos habuerunt TH. KATERKAMP, *Gesch. der Religion, bis zur Stiftung einer allgem. Kirche. Zur Einleitung in die Kirchengeschichte*, *Munst.* 1819, et P. HOFSTEDE DE GROOT, *Voorlezingen over de geschiedenis der opvoeding des menschdoms door God tot op de komst van J. C.*, II Tom. ed. 2 *Gron.* 1848, 1849. Idem hic suis *Institutionibus Historiae Ecclesiae Christianae* praefixit Aetatem Praeparatoriam, qua continetur, sed primis modo lineis descripta, *Divina generis humani institutio, Ecclesiae Christianae praevia.*

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat historia historiae Ecclesiae.*

§ 47.

Quam diversa hucusque fuerit historia Ecclesiae.

Quo melius perspiciamus, quomodo Ecclesiae historia in scholis Academicis sit tractanda, primum oonsulere

volumus historiam historiae hujus enarratae. Igitur exstitit:

1) *Historia eclectica*, quae constat rebus memorabilibus nonnullis, declarantibus, quomodo Jesus Christus Ecclesiam suam rexerit et homines Jesu Christi regimini sint obsecuti. Hujus exempla praebuerunt maxime Lucas et Eusebius.

2) *Historia fabulosa*, in Chronica et Legenda congerens, quaecunque vel vere vel falso de rebus Christianis narrabantur, idque ad alendam, ut existimabatur, pietatem Christianorum. Exemplo sint plerique saeculorum mediorum Historici.

3) *Historia polemica*, qua, Ecclesiae emendatione saeculo XVI ortâ, suam quisque Ecclesiae familiam et doctrinam antiquitatis colore vindicare et commendare volebat. Exempla sunt *Centuriae Magdeburgenses* iisque oppositi *Annales* BARONII; ultimum exemplum praebet VENEMA, *Historia Ecclesiae*.

Centuriae Magdeb. et *Annales* BARONII praebent magnam rerum, etiam nunc inde potissimum cognoscendarum, massam; inprimis *Annales*, ad quos scribendos uti licuit Baronio tabulis Vaticanae Bibliothecae secretis; nec tamen ei semper fides est habenda, utendumve est illo nisi adjunctâ ANT. PAGI *Critica in Annales Baronii.*

4) *Historia critica*, quae verum unice quaerit, ubicunque adsit. Haec cultores habet eximios Sarpium, Mosheim, Schröckh, Gieseler, Hase.

Huic historiae criticae fundamentum struunt editiones Patrum Ecclesiasticorum, collectiones documentorum, inprimis Actorum a Conciliis, Bullarum Papalium, similium, quas editiones collectionesque praecipue debemus industriae saepe mirabili Monachorum Benedictinorum aliorumque scriptorum Romano-Catholicorum. — Ipsam vero historiam criticam ex his fontibus puris duxerunt praeter Sarpium, illustrem Concilii Tridentini historicum, in familia Romano-Catholica non nisi paucissimi.

IO. LAUR. MOSHEMII *Institutiones Historiae Ecclesiasticae* a scriptore eleganter Latine sunt editae, sed etiam annotatione instructae prodierunt Francice et Nederlandice; J. M. SCHRÖCKH, *Christl. Kirchengeschichte* constat XLV Tomis, multorumque operum memorabilium conspectum exhibet accuratum; J. C. L. GIESELER, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, III Tom., e fontibus excerpta continet, iisque saepe aditu difficilibus, ita ut hîc jam tiro aevum quodque suâ loquens linguâ audiat; K. HASE, *Kirchengeschichte*, stilo elegantissimo quodvis aevum hominemqne quemvis paucis pingit lineis.

5) *Historia pragmatica* sive *genetica*, quae rerum causas et conjunctiones explicat, cum inferiores in hominibus sitas, tum superiores in Christo Deoque. Pragmaticae vulgaris, quae causas in hominibus sitas explicat, exemplum praebet Spittler; pragmaticae religiosae, quae rerum causas in Christo Deoque anquirit, exemplum est Merle d'Aubigné, qui tamen criticam negligit. Pragmatica vere Christiana, quae causas omnes respicit, incipit demum adesse in Neandro.

Spittler uno volumine omnem complexus est historiam Ecclesiae; Merle d'Aubigné solam tractat historiam Ecclesiae saeculo XVI emendatae; A. NEANDER edidit cum *Leben Jesu Christi*, p. 59 cit., tum historiam Ecclesiae Apostolicae, *Gesch. der Pflanzung und Leitung der christl. Kirche durch die Apostel*, II Tom.; tum denique, quae a Patribus Apostolicis incipit, *Allg. Geschichte der christl. Religion und Kirche*, quae X Tomis usque ad a. 1294 decurrit. — Quomodo nobis videatur haec historia tractanda, ostendit P. HOFSTEDE DE GROOT, *Institutiones Historiae Ecclesiae Christianae*, *Gron.* 1835, cujus libelli nunc altera editio typis describitur, additis *Commentariis* res et homines maxime memorabiles exponentibus.

Cf. de historia, hac § tractata, C. F. STÄUDLIN, *Geschichte und Literatur der Kirchengeschichte*, et H. J. ROIJAARDS, *Over den voortgang in de beoefening der*

Geschiedenis, ook van die der Christelijke Kerk, in opere, N. C. KIST *en* H. J. ROIJAARDS, *Archief voor Kerk. Gesch.* T. I. Idem ROIJAARDS etiam edidit *Compendium historiae Ecclesiae Chr.* Fasc. II. *Traj.* 1840, 1845.

§ 48.

Quid ex hac historia sit derivandum.

Liquet, semper affuisse Ecclesiae historiam qualemcunque, vel tum superstitem, quum in mediis tenebris nulla cerni posset doctrina reliqua; idque aliter fieri non potuisse, quia Ecclesia res est historica, in rebus, quae acciderunt, radices et causas suas habens, quas ergo Christianus quisque non potest non velle aut aliquatenus nosse, aut, si cultior est, accurate pernosse. Porro liquet, historiam affuisse semper, ut ejus ope Ecclesia juvaretur; nam semper inserviit, ut vita Christiana vel aleretur vel erroribus purgaretur.

B. *Quid doceat rei natura.*

§ 49.

Quodnam esse debeat consilium, quo Ecclesiae historia tractetur.

Nullum historiae hujus tradendae consilium satis sublime est, nisi quando, historiae hujus luce usi, conamur perspicere, quomodo Deus per Jesum Christum genus humanum informaverit et homines hac informatione ipsi sint usi. Hoc vero volumus perspicere, ut Jesus Christus ipse ejusque in genere humano regenerando opus Divinum melius a nobis cognoscatur et persentiatur. Nempe uti Jesus Christus in Euangeliis cernitur, corpore etiam praesens, Ecclesiae fundamentum jaciens: ita in Ecclesiae historia sese patefacit, spiritu in Ecclesia, ut ipsius corpore, vivens eamque regens et perficiens. Quare ut totam in nobis recipiamus Jesu vitam (§ 3—5), hanc ex Ecclesiae quoque historia nosse debemus.

Est hoc principium nostrum, Jesum Christum esse ex Ecclesiae historia cognoscendum, partim idem, quod principium traditionis in Ecclesia Romano-Catholica, quatenus nempe utrumque continuam agnoscit Dei in Jesu Christo patefactionem; partim diversum, quatenus nobis hujus patefactionis in Ecclesia conspicuae criterium est id quod in N. Foedere de Jesu Christo nobis patefactum exhibetur, ita ut nihil agnoscamus in historia vere Christianum, nisi quod non pugnet, imo penitus conspiret, cum Jesu Christo, e N. Foedere cognito, dum Romano-Catholicis longe aliud est veri hac in re criterium, nempe Ecclesiae docentis auctoritas, quae etiam ea declarare vera potest, quae cum N. Foedere pugnant. Etenim nos putamus, in sola *immediatâ* Jesu apparitione ante saecula XVIII certo a nobis conspici, quid sit in re Christiana verum ac Divinum, dum in ejusdem per homines *mediatâ* patefactione facile multa perversa esse possunt, ex hominibus fallacibus orta.

Hoc vero historiae Ecclesiae consilium a paucis hucusque est agnitum. In his est PELT, qui *Theol. Encycl.* p. 298, postquam monuisset, historiam hanc multis laborare periculis, addidit, haec sic modo posse evitari: »Es bedarf einer bewussten Verknüpfung des Stoffes; »dazu muss der Mittelpunkt aufgesucht werden, von dem »aus alle einzelne Erscheinungen ihre Bedeutung und »richtige Stellung gewinnen. Dieser liegt in Christo »selbst als dem Princip des im Reiche Gottes sich »darstellenden göttlichen Lebens der Menschheit. Die »Geschichte ist Gottwerdung der Menschheit durch die »Menschwerdung Gottes, oder was dasselbe ist: Fort»setzung der letzteren durch alle Zeiten hin. Von die»sem Grunde aus soll nun ein Ganzes zu Stande ge»bracht werden." Quod quomodo fieri debeat, exposuit L. SCHUKKING, *Waarop hebben wij te letten in de geschiedenis der Kerk, om in dezelve de openbaring van het voortdurende leven van Christus te zien? En, hoe moeten wij bij dit onderzoek de geschiedenis der Kerk met de geschiedenis van Jezus zigtbare verschijning op*

aarde verbinden? in opere, *Waarheid in Liefde*, 1843. III. Porro idem, *Moeten wij, om Christus in zijne heerlijkheid te zien, Hem ook in de geschiedenis der Kerk gadeslaan?* ibid. 1844, IV.

§ 50.

Qualis debeat esse historia, ut huic consilio respondeat.

Ut historia huic respondeat tanto consilio, debet esse *critica*, *pragmatica*, *eclectica.* Critica, quia nisi vera nihil valet, neque est historia; pragmatica, quia non modo facta, sed etiam horum causas et sequelas conspicere debemus; neque tamen pragmatica modo humana, quae in hominibus rerum causas videt, sed vere Christiana, quia, praeter homines agentes, Jesum Christum agentem Deumque per eum, et in hominibus quidem liberis agentem, cognosse volumus; eclectica, quia modo rebus memorabilioribus nonnullis singulis accurate narratis ideam nobis rerum omnium vividam spectandam proponere possumus.

§ 51.

Quâ viâ haec historiae cognitio sit comparanda.

Duplici viâ acquiri potest haec historiae cognitio, facillimâ et difficillimâ. Prior est, si historicis modo recentioribus utaris, Moshemio, Schröckhio, Neandro; posterior, si e fontibus ipse historiam eruas. Jam quidem doctor Academicus, ut sibi comparet historiae Ecclesiae cognitionem, ipsius munere dignam, uti debet non modo historicis optimis, sed etiam fontibus primariis hominumque in Ecclesiae historia celebriorum scripta adire debet ipse. Discipuli vero ab illo sic debent institui, ut primo in ipsis scholis ideam historiae Ecclesiae sibi comparent cum universalem, tum distinctam eam, de qua diximus § 49; deinde autem in res Ecclesiae ulterius etiam inquirere possint ipsi.

Omnino necesse est, ut hac in re magnum fiat inter doctorem discipulumque discrimen. Et vero ne doc-

tor quidem omnes omnino perscrutari potest historiae hujus fontes, qui numerari vix possunt. Cf. SCHLEIERMACHER, *Theol. Stud.* § 184, 187.

§ 52.

Quibus subsidiis in scholis sit utendum.

Ut ita discipulos instituat doctor, carere nequeunt compendio, quod optimum erit, si non modo historiae totius contineat conspectum, sed etiam res nonnullas magis memorabiles, prouti Lucas et Eusebius, exponat accuratius. Item opus est fontium praecipuorum lectione, nec modo locorum ex his excerptorum, quos exhibet Gieseler; sed etiam integrorum nonnullorum fontium, veluti libellorum Justini M., Anselmi, Lutheri, Calvini, aliorum; ut ipsi, quales quantique hi fuerint, persentiscant discipuli.

Ut sic ipsi videant discipuli, quid Ecclesiae Patres voluerint, in Universitates, auctore Calixto, introductus est mos Patrum horum scripta legendi. Qui et approbandus est, et vero lectione librorum nonnullorum, a serioribus doctoribus scriptorum, valde amplificandus; nam Anselmi, Lutheri, Calvini major est in Theologis et Ecclesia nostro aevo vis, quam Patrum Ecclesiae. Attamen seriore tempore singulorum quorundam hominum vis minor solet esse, quam primo Ecclesiae aevo.

§ 53.

Quomodo tot tantarumque rerum congeries a tironibus sit distinguenda.

Quum vix ac ne vix quidem rerum diversissimarum in historia obviarum, moles rite distinguatur, tirones inprimis attendant cum ad gentes praecipuas, tum ad homines illustriores, tum denique ad eventus primarios, unde pendet periodorum distributio, ut primum saltem aliquam rei totius ideam sibi forment universalem. Inter *gentes* illas refer Judaicam, Graeco-Orientalem, Graecam, Romanam, Germanicas, plane diversas. Inter *homines* hosce Paulum, Johannem, Justinum M., Origenem,

Constantinum, Chrysostomum, Augustinum, Gregorium I, Muhammedem, Carolum M., Gregorium VII, Anselmum, Bernhardum, Erasmum, Lutherum, Calvinum, Hugonem Grotium, Spenerum, Fredericum II, Semlerum, Schleiermacherum, a quibus plurimae pendent res. *Eventus* primarii sunt, qui constituunt fere Periodorum novarum in historia narranda initium.

Ad gentium discrimen inprimis attendunt van Heusde hujusque discipuli. Universe hoc discrimen in historia gentium conspicuum delineavit V. HEUSDE in opere, *De School van Polybius*, p. 69 cit. Specialiter ad Ecclesiae historiam hoc applicuerunt H. J. ROIJAARDS, *Oratio de hominum gentiumque varietate, in Christianae societatis historia observanda*, in *Annal. Acad. Rheno-Traji* 1823—1824, N. C. KIST, *Oratio de progressione ingeni. humani in dogmatum historia Christ. animadvertenda*, in *Annal. Acad. L. B.* 1823—1824, idem, *De geschiedenis van de leer des Christendoms*, in KIST *en* ROIJAARDS, *Archief voor Kerk. Gesch.* T. IV.

Ut hominum illustriorum intelligas cum indolem tum aetatem, subinde legas biographias praestantiores, veluti Chrysostomi et Bernhardi a Neandro scriptas.

Ut eventus memorabiliores cognoscas, de his quoque legendae sunt subinde monographiae. Talis eventus est, quem adduxit Constantinus, de quo egit N. C. KIST, *Disp. de commutatione, quam, Constantino M. auctore, societas subiit Christiana*, *Traj. ad Rhen.* 1818. Item, quam adduxerunt Bella sacra, de quorum causis scripsit G. MUURLING, in Comment. inveniunda in *Annal. Acad. Acad. Rheno Traj.* 1825—1826, quorum historiam Francice enarravit MICHAUD, Germanice WILKEN, Nederlandice N. G. VAN KAMPEN, *Gesch. der Kruistogten*, IV Tom. *Haarl.* 1824—1826, quorumque sequelas exposuerunt A. H. L. HEEREN, *Folgen der Kreuzzüge für Europa* (*Histor. Werke*, T. II) et J. H. REGENBOGEN, *Comm. de fructibus, quos humanitas, libertas, mercatura, industria, artes atque disciplinae per cunctam Europam perceperint e bello sacro*, *Amst.* 1809. Talis eventus est

Ecclesiae emendatio, quae saeculo XVI exstitit, cujus praeparationem egregie ob oculos posuit C. ULLMANN, *Reformatoren vor der Reformation*, II Tom. *Hamb.* 1841, 1842, historiam scripserunt permulti, sequelas elegantissime exposuit C. VILLERS, *Essai sur l'esprit et l'influence de la Reformation de Luther, Paris* 1804. Talis denique est rerum civilium et imperii totius in Francia immutatio inde ab a. 1789 ac conamen saepe repetitum conditionis antiquatae instaurandae, de qua re egit v. gr. H. G. TZSCHIRNER, *Briefe eines Deutschen an die Herrn Chateaubriand, de la Mennais und Montlosier über Gegenstände der Religion und Politik, Leipz.* 1828.

§ 54.

Academicae institutionis in historiâ Ecclesiae tractandâ methodus ac consilium.

Res in facto positas magis memorabiles, subsidiorum omnium auxilio, ita in scholis proponat doctor, ut discipuli artem criticam exercere et vinculum pragmaticum invenire discant ipsi; ut judicare discant, quam diversae sint gentes, diversi homines, diversa etiam tempora; ut perspiciant ipsi, quam pulcre et pie aut perverse et stulte egerint homines, quam sapienter vero et amanter consilium suum salutare semper perficiat Jesus Christus, semper in Ecclesiae sociis vivens et agens.

Discipuli se ipsi etiam exerceant periculis faciundis scribendi de gentis alicujus indole vel eventûs hujus illiusve natura, et inprimis de hominis illustioris vita et ingenio. Porro memoriam sublevent tabulis synchronisticis, quae egregii sunt usûs, a discipulis confectae ipsis.

Caeterum in hac Sectione nec specialiter egimus de *Dogmatum historia*, quam permulti vel tanquam insignem Historiae Ecclesiae partem vel tanquam disciplinam per se subsistentem tractant; neque de *Archaeologia*, sive de Ecclesiae antiquae conditione ac ritibus; neque de *Symbolica*, sive de diversa Ecclesiae familiarum diversarum doctrina; neque de *Statistica* sive de

Ecclesiae totius ejusque familiarum diversarum conditione omni, quam commendavit cujusque partem fecit *Symbolicam*, mox memoratam, SCHLEIERMACHER, *Theol. Stud.* § 232—250. Nempe haec (de quibus prolixe agit v. gr. HAGENBACH, *Encyclop.* § 69—78) et similia bene multa, quae excogitari possunt, alia, v. c. *historia doctrinae Christianae*, *historia regiminis Ecclesiastici*, *historia propagationis Ecclesiae*, caet., separatim tractare in scholis Academicis uti noxium esse poterit historiae Ecclesiae totius enarrandae, quae dissecandis membris vita ac vigore privatur, ita in usum studiosorum non necesse erit, modo ita enarretur historia Ecclesiae totius, ut ejusmodi historias speciales inde ducere possint discipuli ipsi. Etenim hi egregie se exerceant ipsi, si, universali Ecclesiae historiâ rite perpensâ, jam inde ducant et conscribant conspectus notionum et idearum de Christo, de Deo, de natura humana, de hominum cum Deo reconciliatione, de Ecclesia, caet.; porro historiam rationalismi et supernaturalismi, inde ab Apostolis usque ad tempora nostra, historiam mysticismi, protestantismi, fanatismi, caet.; historiam vitae monasticae, Papatûs, propagationis Ecclesiae, similiumque rerum singularium.

CAPUT II.

DE JESU CHRISTI VITA IN THEOLOGO CHRISTIANO.

SECTIO I.

DE INSTITUTIONE MORALI.

I. *Institutio praevia.*

§ 55.

Institutio hominis Christiani moralis praevia, formalis.

Postquam contemplati sumus, qualis sit Jesu Christi apparitio objectiva, cum in Euangeliis, tum in Ecclesiae historiâ conspicua, jam transimus non ad notiones ideasve inde ducendas, sed ad inquirendum in vitam, quam subjective in nobis vivit Jesus Christus; quae vita partim est vita Christiani, partim Theologi. Hanc vero sublimem indolis moralis perfectionem, quam Jesus Christus in omnibus Ecclesiae sociis efficere vult, nemo bene capere potest, nisi qui recte sit praeparatus, ac quasi luci solari ferendae assuefactus ope aurorae. Praeparationem formalem haec duo inprimis efficiant:

1) *Sui cognitio*, qua homo se respectu morali bene noverit et perspiciat. Nempe illud *γνῶθι σεαυτὸν* in causa erit, ut sentias et videas, te opus habere perpetuâ institutione morali. Nec tamen ideo opus est, ut in anxietate illa vivas continua, quae Pietistis et Methodistis solet adesse; neque enim decet Christianum anxietas servilis, sed sollicitudo amoris.

2) *Studium honesti, pulcri, sancti.* Honestum vigebat inter Romanos; cf. CICERONEM *de Officiis* agentem. Pulcrum illud inter Graecos; inter quos Socrates id dicebat *καλοκαγαθόν*. Sanctum hoc inter Hebraeos, qui id inprimis Psalmis effuderunt sublimibus. Tria haec decet adesse homini Christiano, ne veluti coecus de coloribus judicet; decet vero ei haec adesse perfectius etiam, quam Romanis, Graecis, Hebraeis; etsi ea horum exemplo et scriptis nunc quoque in Christiano foveri possint.

Utrumque vero, cum sui cognitio tum studium honesti, pulcri, sancti, maxime oritur ex institutione morali et religiosa, qua inde ab infantia fruitur quisquis vere Christianis gaudet parentibus.

Cur institutionem moralem tractemus ante dogmaticam, explica ex antecedentibus, inprimis e § 4—6, 22—24, 27. Caeterum cf. § 16, 17. Adde J. HERINGA, EZ., *Kerk. Raadvrager en Raadgever*, T. IV, II, *Over de voorbereiding tot het leeraars- en opzieners-ambt.*

§ 56.

Institutio hominis Christiani moralis praevia, materialis.

Praeparationem materialem efficiat inprimis *anthropologia moralis* universaque philosophia moralis hujusque historia.

Hîc primus est de philosophia sermo, quam nonnulli dubitant, num theologiae addere liceat. Cf. conspectum historicum, qua diversa ratione sese habuerint theologia et philosophia, apud HAGENBACH, *Encycl.* p. 67 sq. ed. 2. At vero theologia est nulla, si a philosophia dila-

ceratur; est enim philosophia conamen rationis humanae se, mundum, Deum recte cognoscere, ut ita de rebus humanis Divinisque recte sapiat; quare theologia Christiana naturâ suâ est philosophia in patefactionem Christianam inquirens. Accedit, quod haec patefactio non seorsim a Deo sit data, aut inde ab initio generis humani, sed hominibus antea a Deo, ope patefactionis universalis ac theocratiae peculiaris, praeparatis. Quare, Deum secuti, et nos cum theocratiae hujus, tum patefactionis illius naturam perspicere debemus. Theocratiae vero intelligentia magis facit ad N. F. rite interpretandum, patefactionis universalis philosophiaeque ex ea ductae cognitio ad vim Euangelii moralem perspiciendam. Cf. P. HOFSTEDE DE GROOT, *Wijsbegeerte en Godgeleerdheid*, in *Waarheid in Liefde*, 1847, I.

In philosophis inprimis attendendum est ad Pythagoram, Socratem, Platonem, Stoicos, itemque ad eum, qui ex his omnibus profecit, Ciceronem.

Opus est hac praeparatione, ne id, quod in re Christiana summum esse debet, moralem hominis interioris informationem, negligamus, atque putemus institutionem moralem constare monitis, quomodo ritibus religiosis vel officiis moralibus sit fungendum.

ERASMUS, in praefatione voluminis, quo continentur ab ipso edita *Officia*, *Laelius et Cato ac Paradoxa* CICERONIS, quae praefatio etiam invenitur inter Erasmi Epistolas, *Ep.* 457, ita: »Sic me totum [voluminis hujus lectio] inflammavit »ad honesti virtutisque studium, ut jam pridem nihil tale »senserim, nostrates quosdam neotericos legens, qui, »Christiani, Christianae philosophiae mysteria profiten»tur, et iisdem de rebus magna, ut nobis videtur, »subtilitate disserunt, sed aeque frigide. Ego, quid »aliis accidat, nescio; mihi quid acciderit, ingenue fa»teor, sive id illorum vitio fit, sive meo. Sic subinde »inter legendum mecum cogitabam: Hiccine Ethnicus »scribit Ethnicis, profanus profanis? At in praeceptis »vivendi quanta aequitas, quanta sinceritas, quanta »veritas, quam omnia consentanea naturae, quem ani-

»mum exigit ab his, qui gerunt rempublicam, ut ad- »mirabilem virtutis speciem ponit ob oculos, quam »multa, quam sancte, imo quam divinitus tradit, de »gratis etiam juvandis omnibus, de tuenda amicitia, de »immortalitate animorum, de contemtu earum rerum, »quarum gratia vulgus hodie, non dicam Christianorum, »sed Theologorum etiam ac Monachorum, nihil non »facit ac patitur? Pudebat interim nostrorum morum, »qui Sacris Libris edocti, qui tantis et exemplis et prae- »miis provocati, doctrinam Euangelicam profitemur, nec »praestamus. Describe nostris Satrapis talem Principem »aut magistratum, qualem describit Cicero! Ubi repe- »rias inter Christianos par amicorum ad hanc imaginem, »quam proponit M. Tullius? Ubi senes, qui tam in- »fracto animo ferunt aetatis incommoda? Ubi tam sancta »senum cum juvenibus colloquia? — Et non desunt »crassi quidam, qui studiosos ab hujusmodi libris deter- »reant, ceu poëticis, ut vocant, ad morum integritatem »officientibus! Ego vero dignos censeo, quos et om- »nibus in ludis praelegant adolescentiae literatores, et »sibi legant relegantque senes."

Eo autem fructiosior est haec praeparatio, quo certius constat, in nulla re magis convenire homines, quam in morali nostra natura et destinatione agnoscenda.

Jam CICERO, *De Republ.* III, 17: »Est vera lex recta »ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, »sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando »a fraude deterreat, — nec alia lex Romae, alia Athenis, »alia nunc, alia posthac," caet. Quod omnium tem- porum seriorum experientia confirmat.

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat historia institutionis Christianae moralis.*

§ 57.

Quam diversa hucusque fuerit institutio Christiana moralis.

Hujusque etiam institutionis modus apud alios Christianos fuit alius. Inprimis observanda sunt:

1) *Institutio vere humana*, quae invenitur apud Jesum Christum; hic enim hominem sic excolere studuit, ut eum ad Deum duceret, quo homo vere fieret homo.

2) *Commendatio Jesu Christi*, quam reperis apud Apostolos, qui, Jesum secuti, proprie noluerunt homines docere dogmaticam, sed institutione morali eos regenerare. Christum enim, gratiae Divinae exemplum atque pignus, annunciarunt hominibus, et in hominibus Christum hunc vivere voluerunt, ut homines Jesum sequerentur, propter Jesum amarent Deum, ita regenerarentur, atque perfectio ex hac regeneratione vitâque novâ moralis in iis oriretur.

Haec una res unaque etiam dictio Jesu Apostolisque omnibus est communis, *regenerandos* esse homines Euangelio. Vide Joh. 3: 3, Tit. 3: 5 coll. 2 Cor. 5: 17, Jac. 1: 18, 1 Petr. 1: 3, 23, 1 Joh. 3: 9. Etiam nunc hac voce uti prodest, quia vox *fides*, qua, tanquam regenerationis vitaeque novae medio, saepius etiam utuntur Jesus et Apostoli, a permultis sensu perverso usurpatur.

Fecerunt id omnes populari modo; sed sua quisque ratione pro suo cujusque ingenio. Nemo tamen, etsi ad Jesum respiciens, Jesum secutus est provocantem ad ipsam humanae naturae indolem ideoque parabolis ideas morales interpretantem. Paulus societatem Christianam

moralem inprimis explicuit. Johannes omnium Christianorum erga Christum Deumque et inter se amorem commendavit.

3) *Doctrina de officiis.* Etsi Patres saeculorum IV priorum non prorsus ab Apostolis deflexerint, in iis tamen regnat studium vitae Christianae purgandae sordibus gentiliciis. Quod plerique sic fecerunt, ut singula modo quaedam commendarent officia moresque bene Christianos singulatim exponerent. Quale studium non modo in Tertulliano et Cypriano reperis, sed etiam in Patribus Alexandrinis, caeterum id quoque retinentibus et cum doctrina Christiana conjungentibus, quod in morali Gentilium philosophia ipsis videbatur bonum.

Cf. J. BARBEYRAC, *Traité de la Morale des Peres de l'Eglise, Amst.* 1728; P. HOFSTEDE DE GROOT, *Disp. de Clemente Alexandrino, Philosopho Christiano, Gron.* 1826. Nempe Apostoli dederunt principium idque positivum, Patres Ecclesiae sequelas easque potissimum negativas, sive quaenam vitia sint fugienda.

4) *Institutio ascetica.* Iidem vero Patres nonnullis jam Christianis, qui reliquis perfectiores esse volebant, ascesin commendabant, quae externam magis formam suscepit ac deformationem mox subiit in Montanismo et in vita monastica, interiorum explicationem invenit inter Mysticos, e quibus Augustinus inprimis loco *honesti in officiis* voluit *sanctum in animo.* Hoc autem et commendarunt et philosophice quoque interpretati sunt cum ipse, tum Gregorius I, Bernhardus, Monachi Victorini, Taulerus, Thomas à Kempis, omnium purissime Wesselus Gansfortius.

5) *Disciplina ecclesiastica.* Inde autem a Papatu Romano regnante apud vulgus institutio vel potius disciplina quaedam aderat, quae virtutem habebat unam, esse Ecclesiae socium, vitium unum, extra Ecclesiam esse; igitur mox in sacrorum cultu et in operibus bonis ponebat vitam Christianam, in haeresi et schismate vitae Christianae defectum. Sic facile doctrina moralis pene

omnis degeneravit in *Casuisticam*, sive doctrinam de casibus conscientiae.

6) *Commendatio gratiae Divinae.* Reformatores, Mysticorum institutioni sese adjungentes, disciplinaeque isti ecclesiasticae sese opponentes, e gratia Divina omnem derivarunt doctrinam cum dogmaticam tum moralem, cujus posterioris vero principium modo, idque imperfecte, attigerunt. Vel sic tamen auctores fuerunt praxeos moralis saepe egregiae, quum hujus principium annunciarent unum verum, gratiam Dei in Jesu Christo exhibitam, cui nobis respondendum est grato animo. Nonnihil theoretice praestiterunt Mystici, v. c. Arndt, Lodensteyn, Fenelon; plus Jansenius, qui totus erat Augustinianus; plurimum Pietistae, etsi hi studio pietatis (vitae piae) nimio religionem animi saepe impedirent.

Num theologiae moralis, quae tum dicebatur, a dogmatica sejunctae expositio, post Danaeum et Calixtum orta, intelligendae institutioni morali Christianae magis profuerit an nocuerit, difficile est dictu. Nam separatim tractata plenius quidem est exposita, sed etiam sic, ut ejus causa et fundamentum potius ex Hugonis Grotii aliorumque de jure naturae et ethica scriptis, aut ex doctrina philosopha aliqua, quam ex Euangelio peteretur; id est, arborem plantare voluerunt, cui radix erat abscissa.

Omnem vero theologiam moralem depravarunt Jesuitae, Casuisticae patroni, Probabilismi inventores.

7) *Interpretatio philosopha indolis religionis Christianae moralis.* Inde a Kantio usque ad tempora nostra alius regnat genius. Quum enim Kantius omnia in philosophia et religione duxisset ex ideis moralibus, jam Theologi omnes ad moralem religionis Christianae indolem animum advertere coeperunt. At plerique eo successu, ut philosophiae ope moralia Jesu et Apostolorum monita in aliquod doctrinae de moribus officiisque corpus redigerent, quod egerunt Rationalistae et vero Supernaturalistae, v. c. Reinhard.

Quod vero fecerunt Apostoli populariter, id philosophice

interpretari et ulterius explicare aetatis nostrae est officium. Ad hoc agendum ducit Schleiermacher, qui vero minus moralium N. Foederis praeceptorum habet rationem, quam Jesu et Ecclesiae. Schleiermacheri interpretes sunt Ullmann et Rütenick; ille inprimis ad Jesum, hic praecipue ad Ecclesiam respiciens. Neque negligendi, qui omnem doctrinam moralem explicant, de Wette, von Hirscher, Rothe.

Quod de SCHLEIERMACHERO dicimus, minus valet de ipsius Ethica Christiana, *Die christliche Sitte nach den Grundsätzen der evang. Kirche, Berlin* 1843, quam de orationibus ipsius sacris. ULLMANNI respicimus libellum, *Ueber die Sündlosigkeit Jesu*, jam saepius laudatum; Rütenickii vero opusculum, *Sittenlehre, mit Zuziehung Schleiermacher'schen Predigten aus dem Begriffe des Reichs Gottes entwikkelt von* K. A. RÜTENICK, *Berlin* 1832. Porro W. M. L. DE WETTE, edidit *Christliche Sittenlehre*, III Tom. *Berlin* 1819—1823, cui operi adjunge ejusdem *Vorlesungen über die Sittenlehre*, IV Tom. *Berlin* 1823, 1824. Cum Rütenickio conjungi potest J. B. VON HIRSCHER, *Die christl. Moral als Lehre von der Verwirklichung des göttlichen Reichs in der Menschheit*, III Tom. *Tüb.* 1836, 1837. Adde, qui magis speculatur, R. ROTHE, *Theologische Ethik*, III Tom. *Wittenb.* 1845 et deinceps. Quod nos putamus aetatis nostrae officium, ei satisfacere conatus est L. G. PAREAU, *Initia institutionis Christ. moralis, Gron.* 1842.

Historiam doctrinae moralis ab aliis aliter tractatae fusius exposuit C. F. STÄUDLIN, *Gesch. der Sittenlehre Jesu*, IV Tom. *Gött.* 1799—1823, cujus supplementum est, ejusdem *Gesch. der christl. Moral seit dem Wiederaufleben der Wissenschaften, Gött.* 1808. Eidem historiae spissum volumen dicavit DE WETTE alterum operis citati *Christl. Sittenlehre.*

§ 58.

Quid ex hac historia sit derivandum.

Historia haec docet, institutionem moralem, quippe rem in religione Christiana praecipuam et maxime sublimem, ad nostra usque tempora nunquam satis esse explicitam; spectare et mores et vero animum; arctissime esse junctam cum gratia Divina et persona Jesu Christi; eo melius excoli, quo magis viget notio *Ecclesiae* sanctae moralis.

B. *Quid doceat rei natura.*

§ 59.

Cur tractanda sit institutio moralis.

Tractanda est, quia, ut ex historia jam constabat, institutio moralis in re Christianâ est praecipuum. Etenim Deus misit Jesum Christum ad homines, eosque peccatores, servandos et beandos. Hi vero quum miseri sint ideo, quod sunt peccatores, sive miseri peccato, et beati esse non possint nisi sanctitate, Deus per Jesum Christum genus humanum peccato liberare vult ac sanctitate reddere beatum. Medium, quo liberentur peccato ac sanctitatem acquirant, hominibus dedit Jesus se ipse. Se ipse enim sive vitam suam Divinam cum iis communicare vult, quem in finem olim ipse in terris egit vitam mortuusque est, et per spiritum suum in Ecclesia vivere pergit. Cf. § 2—5.

§ 60.

Institutionis moralis argumentum.

Quale hujus institutionis sit argumentum, e § 59 liquet. Etenim institutio moralis in scholis Academicis est interpretatio hujusce actionis Dei, qua per Jesum Christum, hujusce Jesu actionis, qua ad Dei exemplar et ipse per se et per homines informat et excolit homines, hujusce hominum actionis, qua ad Dei Jesuque exemplar se ipsi aliosque informant homines, ut Divinam

eam, quae in Jesu se patefecit, vitam a Jesu accipiant et in se foveant: verbo institutio nostra moralis est interpretatio modi, quo in hominibus nascatur et crescat vita Divina et in genere humano Divinum regnum.

HAGENBACH, *Encyclop.* ed. 1 p. 295: »Das Positive der christ»lichen Sittenlehre ist nicht irgend eine Buchstabe, wie »etwa der des alttestamentlichen Dekalogs, auch nicht »selbst die Lehre Jesu als solche, sondern seine Er»scheinung in der Menschheit, sein ganzes Leben als »Gottes- und Menschensohn und die auf dem Grund »dieses Lebens gebaute Idee vom Reiche Gottes." P. 297: »Deshalb ist auch nicht eine blos *biblische* Moral, wel»che die sittlichen Vorschriften Jesu und der Apostel zusam»menstellt, das, worauf die *christliche* Moral zurück»zugehen hat; sondern das Leben und die Gesinnung »Jesu ist es auf der einen und die Geschichte der »christlichen Sitte auf der andern Seite, welche die »positiven Factoren derselben bilden." Quod posterius ed. 2 p. 315 sic explicat: »Sind doch die gesegnetsten »Früchte des Christenthums *Früchte*, wozu in der Bibel »erst der Keim zu finden ist; man denke an den Begriff »des christlichen Staates, der christlichen Ehe und alles »was dran hängt, an die Abschaffung der Sklaverei, an »die Achtung vor dem Leben des Individuums (der »Abscheu vor dem Selbstmord), an die Gottesdienst»lichkeit, die sich (z. B. die Sonntagsfeier und die Feier »der christlichen Feste) frei aus dem Leben heraus »entwickelt hat, ohne alles Gebot und Statut der Schrift."

§ 61.

Aliquot hinc ductae sequelae.

1) Quae cum ita sint, institutionis moralis interpretatio, in scholis Academicis tradenda, non debet esse doctrinae corpus colore potius Christiano commendatum, quam ex Euangelio ductum: sic oritur *systema philosophum de re morali*, locis Sacrae Scripturae ornatum. Sed debet esse systema morale ex Euangelio ductum sive potius philosopha interpretatio institutionis Divinae

per Jesum Christum, hoc est, modi, quo Dei amor per Jesu Christi apparitionem in terris et perpetuam e coelis actionem genus humanum a peccato revocat et ad veram sapientiam verumque amorem perducit.

Evanuerat brevi post Apostolos, praecipue autem medio aevo, haec amoris Divini persuasio ex Ecclesiae sociis rectoribusque paene omnibus; quare post Ecclesiae demum saeculo XVI emendationem, quae gratiam Dei rursus tanquam fidei vitaeque Christianae principium revocavit, oriri potuit ethica vere Christiana. Sed doctrinae moralis systema, a Reinhardo aliisque confectum, revera est corpus doctrinae philosophum Bibliorum locis illustratum.

2) Neque ergo potissimum aget doctor Academicus de principiis moralitatis, i. e. de principiis doctrinae moralis et officiorum: sic oritur disputatio theoretica de re morali, sive *metaphysica morum*, quae intellectum spectat, non hominem ipsum totumque. Sed aget de principio sive fonte vitae novae internae Christianae, ex ipso Dei amore repetendae.

De illis disputarunt Theologi maxime ad Kantii exemplum.

3) Neque potissimum aget de singulorum officiorum praeceptis: sic oritur *doctrina de officiis*, cujus extrema pars eaque putida est *casuistica*. Sed aget de modo, quo vita illa nova interna a Deo per Jesum Christum excitatur, alitur, perficitur, ideoque sponte foras prodit actionibus voluntati Divinae congruis.

Hoc agit ERASMUS, *Enchiridio*, § 4 citato, et C. VITRINGA, *Typus Theologiae practicae sive de vita spirituali ejusque affectionibus brevis commentatio*, *Fran.* 1716. Idem senserunt Reformatores, qui de re morali agere solebant breviter, sed etiam graviter, vitam ipsam Christianam moralem explicantes, v. c. CALVINUS, qui *Instit. Christ. religionis* L. III. Cap. 7 inscripsit: *Summa vitae Christianae; ubi de abnegatione nostri.*

4) Neque de vitâ modo aget religiosâ: sic oritur *doctrina pietatis*, *ascetica*, affectus modo spectans. Sed de

homine aget toto per religionem excolendo, ut appareat, quomodo haec vita hominis totius exculti antecellat vitae mundanae, artium cultui, doctrinarum studio, ab hac vita separatis; ac quomodo haec vita omnia illa penetret et sanctificet multumque perficiat.

De hoc argumento pene adhuc deserto cf. *Waarheid in Liefde*, 1840, II, *Iets over de verhouding van het Christendom tot de kunst, de wetenschap en het levensgenot;* item 1845, I, *Over eenige volksuitspanningen en vermakelijkheden;* atque W. MUURLING, *Christus in den mensch en in de menschheid, het wezen van het innerlijke Christendom*, ibidem, 1843, II.

5) Neque tantum de hominibus aget singulis individuis: sic oritur *separatismus moralis*, sive sejunctio hominis cujusque a reliquo mundo spirituali. Sed prouti Jesus Christus *regnum Divinum* condidit, in quo civis alter excoleret alterum, sic de societate illa aget Christiana, sive de Ecclesia, quae olim complecti debet genus humanum omne. Cf. § 3, 7.

Verbo, expositio institutionis moralis erit disquisitio de regno Divino, quod condidit Jesus Christus, in gente humana perficiendo.

§ 62.

Quanam forma hoc argumentum sit exponendum.

Forma, qua hoc institutionis Christianae moralis argumentum (§ 60, 61) est exponendum, sit philosophohistorica. Qua forma exponatur, quid sit homo genusque humanum, quodnam ejus ingenium, indigentia, desiderium; quid sit Jesus Christus, quid sibi velit ipse ac Deus per ipsum; denique quomodo Jesus non tantum doctrinâ suâ, sed totâ suâ personâ et actione excolat ingenium, expleat indigentiam, satisfaciat desideriis, eoque ipso et indolem emendet et hominem totum genusque humanum perficiat.

Ergo attendendum est non modo ad Jesu Christi verba, sed inprimis etiam ad ejus personam et actionem om-

nem; nec modo ad hanc, qualis haec apparet in historia Euangelica, sed etiam in omni Ecclesiae historia. Nam idem ille Jesus egit vixitque in Paulo, Johanne, Augustino, Luthero, Frankio, Wilberforcio. Cf. § 45—54, 60.

§ 63.

Institutio moralis qua methodo et quo consilio in scholis Academicis sit tractanda.

Haec in scholis Academicis hujus institutionis moralis tractandae sit methodus, ut in iis tradatur interpretatio docta ejus institutionis, quam Deus per Jesum Christum generi humano largitur. Quae institutio qualis sit, intelligitur optime ex ea, quam Jesus dedit Apostolis et exemplo suo, et verbis suis monitisque, et vitâ personâque suâ omni, et rebus ipsorum dirigendis; item institutionis, quam Jesus per homines hominumque fata Christianis aliis dedit, v. c. Luthero.

Eo vero ducere debuerunt discipulos scholae exegeticae et historicae, ut quid sit haec institutio Apostolorum et generis humani per Jesum Christum, aliquatenus suspicentur atque augurentur jam ipsi. Ergo jam in theologiae moralis scholis id supplere et emendare debet doctor, quod jam invenerunt discipuli ipsi, hosque excitare et adjuvare, ut plura telioraque inveniant ipsi continuo, atque ut haec ipsa non modo accurate, sed etiam ordinate perspiciant, quo facto ex singularum partium apta conjunctione universam institutionem Christianam moralem penitus et intelligere et aestimare discant. Inprimis tamen de eâ Jesu Deique per Jesum hominumque ex Jesu consilio actione est agendum, quae in N. F. invenitur, quum ibi modo pura sanctaque inveniatur haec actio et mundi spiritu non contaminata. Nec tamen Ecclesiae historia negligenda; sed hactenus saltem attingenda, ut aliqua oriatur discipulis exercitatio inde quoque suo Marte deducendi, quomodo Deus etiam nunc per Jesum Christum instituat genus humanum. Cf. § 44, 54.

Praecipue vero sic etiam a doctore discipulisque haec institutio moralis in scholis est tractanda, ut morale suum consilium, quod in omnibus hominibus assequi vult Christus, inprimis in futuris attingat Euangelii nunciis, qui gregi reliquo exempla esse debent suâque vitâ ostendere et commendare illam animi harmoniam et perfectionem ac cum Deo similitudinem, ad quam evehere debent gregem ipsum omnem.

SECTIO II.

DE THEOLOGIA PRACTICA.

§ 64.

Quid hac Sectione sit exponendum.

Contemplati, quomodo institutione morali informandus sit Theologus Christianus, quatenus ipse est homo Christianus, jam inquiremus, quomodo idem sit excolendus, quatenus erit Theologus practicus, Ecclesiae praepositus sive Pastor. Opus autem est hac institutione, quia Theologi, Pastores futuri (§ 11), vix ac ne vix quidem, quam in se habent vitam Christianam, rite ac feliciter cum aliis communicabunt, nisi eos huc duxerit institutio specialis, qua ipsi quasi copulentur cum hominibus reliquis. Nam theologia practica est expositio philosopha, quomodo ad Jesu Christi exemplum praxin instituere debeat Theologus, sive Pastorem agere, qui reliquos ad perfectionem informet Christianos. Est ergo haec institutio potissimum formalis, docens, quid ac quonam hoc ipsum modo et quam ob causam id hoc modo ex vitae spiritualis suae thesauris in aliorum usum depromere debeat Pastor Christianus.

Est vero officium hoc Theologi practicum multiplex; nam, ut Ecclesiae usibus rite inserviat, ei deesse nequit 1) *facultas catechetica*, 2) *ars homiletica*, 3) *ars liturgica*, 4) *cura gregis pastoralis*, 5) *juris ecclesiastici cognitio*, 6) *cura generis humani apostolica.*

Alii alium in his enumerandis et tractandis sequuntur ordinem, suis quemque commodis gaudentem. Nos

eum elegimus, qui cum hominum instituendorum progressibus potissimum conveniat; nam hi catechesi primum sunt informandi, atque per varios modo gradus tandem eo perveniunt, ut Apostolos in genere humano amanter complectendo aliquatenus sequantur.

I. *Institutio praevia.*

§ 65.

Institutio Theologi practici praevia, formalis.

Ut Theologus in hoc tam multiplici officio practico Jesum feliciter sequi discat, praeparatus esse debet. Ad praeparationem inprimis hae referantur res gravissimae:

1) *Studium boni*, quale v. c. Stoici pinxerunt in Sapiente suo.

2) *Amor generis humani*, qualis jam fuit Socrati, civi mundano.

3) *Commiseratio generis humani*, ut studium illud et amor ille versus id dirigantur, quo opus est.

Cf. SENECAE libros *de Ira* et *de Clementia*.

4) Maxime *amor Jesu Christi*, pastoris summi, cujus imago esse debet pastor quisque.

Cf. § 21, 22, 26 et *Formulier om te bevestigen de Dienaren des Goddelijken woords*, quae formula apud Reformatos est in usu, ampliata vero et emendata reperitur in *Proeve eener herziening der Formulieren der Nederl. Herv. Kerk*, *Gron.* 1850.

§ 66.

Institutio Theologi practici praevia, materialis.

Cognosse etiam debet futurus Ecclesiae Pastor, cum

quomodo gentes antiquae cultiores, nondum Christianae, populum populique classes nonnullas instituere conatae sint, tum quaenam sint rationis rectae de his rebus praecepta. Specialiter, quod ad sex hujus institutionis partes attinet (§ 64):

1) Quomodo se habuerit *institutio* Pythagorae ac Socratis, quid Xenophon in Cyropaedia narret ac fingat, quidque hac de re doceant Plato ac Plutarchus; item quidnam sit paedagogica universalis.

Cf. SCHWARZ, *Geschichte der Erziehung*, ejusdemque *Erziehungslehre;* inprimis J. B. GRASER, *Divinität oder das Princip der einzig wahren Menschenerziehung*, VAN HEUSDE, *Brieven over hooger onderwijs*, al.

2) Qualis fuerit *eloquentia* antiqua, inprimis Demosthenis; ac quaenam sit eloquentiae natura.

Cf. J. H. SCHOLTEN, *Disquisitio de Demostheneae eloquentiae charactere*, *Traj.* 1835. Multa quoque docent CICERO, *De Oratore*, QUINCTILIANUS, *Institut. Orat.*, aliique antiqui; in his HORATIUS, *Epist. de arte poëtica.*

3) Quales fuerint *dies festi et sacra*, ad populi sensum religiosum excitandum et regendum adaptata. In his cernitur musicae et poëseos vis cum apud Hebraeos, tum apud Graecos; verum, apud hos maxime, cernitur etiam disjunctio religionis et virtutis. Item perpenderit, necesse est, quomodo soleat moveri homo, ex ipsius naturae humanae indole.

Nonnulla hîc peti possunt e scriptoribus, qui de historia artium egerunt. Cf. etiam HAGENBACH, l. ad § 12 laud.; et C. A. DEN TEX, *De vi musices ad excolendum hominem e sententia Platonis*, *Traj.* 1816.

4) Qualis fuerit *ethica politica* sive sententia sapientiorum (Platonis, Aristotelis, Stoicorum, Ciceronis) de modo informandi ad virtutem populi; ac qualis haec ethica naturâ sit suâ.

Quaedam de his habet SCHWARZ, *Gesch. der Erziehung;* item V. HEUSDE, *Initia Phil. Plat.* ac J. S. G. DE GEER, *Diatribe in politices Platonicae principia*, *Traj.* 1810.

5) Quaenam fuerint olim ac per se sint *juris* bene constituendi ac tuendi principia, ut societas quaevis juste ac feliciter regatur.

Cf. C. A. DEN TEX, *Encyclopaedia Jurisprudentiae*, *Amst.* 1839.

6) Quaenam sit *communionis* et societatis hominum inter se natura ac vis, quod itidem cum ex ipsa hominis natura, tum ex historia mundi apparet.

Cf. P. HOFSTEDE DE GROOT, *Instit. Theol. natur.* § XXXVII.

Universe magni erit usûs, de his omnibus rebus cognitionem habere historicam bene fundatam et philosopho acumine rite dijudicatam, ut, ita Antiquitatis experientia locupletatus, thesauros Euangelii feliciter dispensare coneris. Quantum enim prodesse possit haec institutio praevia materialis, vix dici queat. Orator excellentissimus, F. V. REINHARD, *Iets over zijne Leerredenen en zijne vorming tot prediker*, *Gron.* 1812, narravit p. 51 sqq., se nullas Homiletices Sacrae scholas adiisse nullisque exercitiis oratoriis interfuisse, sed quod in eloquentia sacra valeret, acceptum referre rhetorum oratorumque antiquorum, inprimis Demosthenis, lectioni assiduae studioque, quo philosophiam coluerat, haud minus diligenti.

Neque tamen haec antiquitatis cognitio sufficiet. Nosse debet Pastor futurus, quaenam etiam praesens sit mundi conditio, quaenam aequalium nostrorum de arte, de doctrina omni, de religione cum omni tum Christiana opinio, quid eos delectet, quid magni faciant. Qua in re etiam distinguendae sunt diversae societatis humanae classes et maxime hae observandae, inter quas deinde inprimis vivet pastor futurus.

Cultiorum hominum de his rebus opiniones a Pastore futuro cognoscendas et cultûs sui praestantiâ emendandas exhibet DE WETTE, *Theodor oder des Zweiflers Weihe*, II Tom. *Berol.* 1828; rudiorum, maxime rusticorum, dèscriptionem invenis in F. L. G. WAGNER, *De officiis et conditione pastoris rusticani*, *Gron.* 1833. Hic vero

dum Germanicos vere describit rusticos, Nederlandicos elegantissime pingit auctor libri, *Schetsen uit de Pastorij te Mastland. Ernst en luim uit het leven van den Nederlandschen Dorpsleeraar*, *Schoonh.* 1843; cui libro adde *Bedenkingen over de geaardheid der Nederl. Herv. Gemeenten*, in HERINGA, *Kerk. Raadvr.* III, 2. Multa etiam ad homines cognoscendos proficies ex PESTALOZZI libro, *Lienhard und Gertrud*, similibusque scriptis; itemque ex G. J. PLANCK, *Das erste Ambtsjahr des Pfarrers von S.*, *Gött.* 1823. Plurimum vero proficiet is demum, qui homines observet ipse, quid agant, de quibusnam rebus loquantur, de his quo modo, quibus libris delectentur, quaenam vitae gaudia sectentur, caet. Vitae vero vulgaris et communis jejunitate ac sterilitate ne defatigetur, se quoque excitet et spiritu sublimiori animet legendis narrationibus et idylliis fere, inveniundis in STRAUSS, *Glockentöne.*

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat historia theologiae practicae.*

§ 67.

Quam diversa hucusque fuerit institutio Theologi practici.

Etsi argumentum simile jam attigerimus § 26, ubi de Theologi informandi historiâ agebamus, jam exponendum, qua ratione historiâ teste, hucusque excultus sit Theologus practicus sive Pastor Ecclesiae futurus. Inprimis haec observantor:

1) *Exemplum perfectissimum*, quomodo instituendus sit Pastor, statim in limine habemus, Jesum Christum, qui in informandis hominibus cum colloquiorum, tum orationum ope, tum et exempli amoris summi efficaciâ, ideam Pastoris absoluti exhibet; quod inprimis cernitur in modo, quo Apostolos instituit.

2) *Secuti sunt Jesum Christum* Apostoli, maxime Paulus, quem optime novimus. Supersunt autem praecepta ab hoc data de vita pastorali (§ 26), sed praesertim superest ejus et Petri aliorumque exemplum, quam diverso modo cum diversis versati sint hominibus et Ecclesiis. Nec tamen diu in uno fuerunt loco ideoque pueros et plane rudes informare vix potuerunt.

3) *Initiatio hominum rudiorum* praecipuum erat negotium doctorum, quamdiu Ecclesia erat oppressa. Nam catechumenos instituere et probare, lapsos ad resipiscentiam ducere, disciplinâ severâ ab arcanis sacris arcere profanos, iis inprimis erat curae cordique.

4) Quum *Ecclesia theocratiae externae speciem* referret, a Constantino ad Lutherum, florebat maxime cum eloquentia sacra, cujus exempla praebent egregia Chrysostomus, Basilius, Augustinus, Gregorius I, Bernhardus, alii; tum liturgia; haec vero, maxime auctore Gregorio I, splendida erat magis quam spiritualis, ac Hebraeorum potius sacra imitabatur, quam e vitae Christianae principio se evolvebat. Igitur per omne hoc tempus Pastor erat sacerdos, jam apud Chrysostomum, cujus libri egregii de theologia practica inscribuntur, *de Sacerdotio*. Institutio catechetica post Constantinum non valde floruit, etsi Augustinus de ea scripserit ac Caroli M. aetate ejus nomen ex oblivione aliquantulum redierit. Curae vero pastoralis initia nunc etiam cernuntur maxime in Monachis mendicantibus saeculo XIII ortis. Per omne etiam medium aevum fuit juris ecclesiastici studium; sed quum Ecclesia videretur imperium civile, hoc quoque jus erat modo externum et civile, non vere Christianum.

5) *Euangelica ratio* exstitit inde a Luthero et progressa est usque ad tempora nostra. Euangelium, prius nobilibus et doctis vix notum, nunc ad plebem quoque et pueros est perductum. Quod egerunt maxime Lutherus Bibliis vernacule reddendis ac Catechismo utroque edendo, Zwinglius et Calvinus scholis novis instituendis, Ursinus Catechesi Palatina scribenda. Quum vero in his catechesi ac scholis regnaret doctrina, mox iterum orta est doctrina scholastica, qua ediscendâ contenti erant Christiani plerique, usquedum Spener et Franke doctrinae et orthodoxiae substituerent pietatem. — Eloquentiae Sacrae exempla dant Lutherus, Saurin, Reinhard, van der Roest, E. Kist, van der Palm. — Liturgiam neglexerunt fere omnes. — Curae pastorali adjumentum magnum attulit Calvinus, visitatione domesticâ et disciplinâ severiore instituendis. — Jus ecclesiasticum cum apud Euangelicos tum apud Romano-Catholicos fere continebatur historica juris, quod in usu erat, expositione.

Caeterum haec Euangelica ratio etiam in Romano-Catholicis vim haud parvam nacta est, quod minus cernitur in Jesuïtarum institutione (§ 26), quam in eloquentiae sacrae flore, in Ecclesiae Gallicanae oratoribus, Bossueto, Massillone, aliis, conspicuo, et in cura pastorali, cui nunc se dederunt monastici virorum mulierumque ordines, itemque viri nonnulli eximii, veluti Fenelon ac Sailer.

Universe vero per omne hoc tempus Pastor apud Protestantes erat doctor, apud Romano-Catholicus Pastor, sed hoc sensu, ut Christiani reliqui, maxime Jesuïtis auctoribus, putarentur esse oves, i. e. homines non sui juris.

Ex historia hîc quoque multum proficere possumus, quare exstat etiam liber J. C. F. BURK, *Evangelische Pastoral-Theologie in Beyspielen*, II Tom. *Stuttg.* 1838. Quum vero Protestantibus Theologus erat doctor potius quam Pastor, diu etiam de pastoris vix scripserunt institutione.

Sic v. GR. PLANCK, *Einl. in die theol. Wissensch.* T. II, p. 593—607, appendicem brevem de hac institutione practica adjecit operi suo longo et docto, monens, de hac erudite agi non posse eamque etiam esse minoris ponderis, quam ut vir doctus hanc curet. Longe secus judicavit Schleiermacher, qui omnem Theologi institutionem huc retulit, ut bene instructus fiat Ecclesiae antistes. Post hunc cum de opere pastorali laudabiliter egit idem ille PLANCK, libro p. 98 laud., tum de theologia practica inprimis egregie scripsit L. HÜFFELL, *Ueber das Wesen und den Beruf des evangelisch-christlichen Geistlichen*, II Tom. 4 ed. 1843; ed. 2 vernacule liberius reddita est ab I. BUSCH KEISER, *Gron.* 1835, 1837, Neque negligas C. HARMS, *Pastoral-Theologie*, III Tom., quae brevius et concinnius vernacule prodiit auctore W. VERWEIJ, *Over het wezen en het werk van den Evangeliedienaar naar* C. HARMS, *Haarl.* 1845. Romano-Catholici hanc Theologiae partem diu magna excoluerunt cura, cui debentur etiam multa eaque eximia opera J. M. Saileri, viri vere Christiani. Neque negligendus nostras, brevis sed prudens ac locuples, C. BOERS, *Handboek voor jonge Predikanten*, 2 ed. *Leid.* 1820.

§ 68.

Quid ex hac historia sit derivandum.

Docet haec historia, sensim plures theologiae practicae partes esse tractatas, saepe vero multas esse praetermissas; eam admodum diversam esse debere secundum tempora et gentes; Jesum Christum dedisse ejus exemplum perfectissimum; maximum vitae pastoralis bene agendae esse momentum, ut ames Christum Deumque in Christo et genus humanum ob Deum Christumque; optimam hujus vitae scientiam, ut cognoscas Christum Deumque in Christo et hominum necessitates.

B. *Quid doceat rei natura.*

§ 69.

De theologiae practicae naturâ universâ.

Vitae pastoralis, quam exhibet theologia practica, natura breviter sic describi possit, ut sit cura Ecclesiae Christianae laboriosa. Ejus ergo principium (quod etiam ex historia liquet) est amor generis humani, ex amore Christi et Dei in Christo natus; ejus autem consilium, ad quod attingendum spectare debet theologia practica, homines ducere ad cognoscendum et amandum Jesum Deumque in Jesu, et ad cognoscendam et amandam Ecclesiam gentemque humanam propter Jesum Deumque, sive homines ducere ad vitam vere Christianam (§ 4—6). At multum abest, ut vel nostris temporibus vita pastoralis plerumque recte aut exerceatur aut vel doceatur; nam Academiae nondum sunt ordinatae, prouti esse debeant, ad hanc institutionem practicam rite curandam.

Remedium num adsit in Seminariis? Cf. § 16—23.

1) *De facultate catechetica.*

§ 70.

Hujus facultatis natura.

E distributione § 64 facta jam primum agemus de facultate catechetica, quae idem habet principium idemque consilium ultimum, quod vita et institutio Pastoris universa (§ 69). Medium vero, quo consilium attingat, ei est hoc, instituere pueros et rudes homines, quos Pastor tanquam paedagogus informet, prouti Jesus solebat. Si autem Jesum instituentem sequeris, non infundis placita in memoriam, sed moves animum et illustras mentem, ut non modo discant homines loqui ratione Christiana, sed esse Christiani.

Cf. H. N. LA CLÉ, *Diss. de Jesu Christi instituendi methodo hominum ingenia excolente*, *Gron.* 1835. Item J. SONIUS SWAAGMAN, *Aanwijzing van deze bijzonderheid*

in Jezus leerwijze, dat Hij tegenwerpingen wederlegt door geheel in te gaan in den geest zijner tegenstanders en het ongerijmde hunner tegenwerpingen uit hun *standpunt aan te wijzen*, in *Waarheid in Liefde*, 1842, I.

Catechetica dicitur a Gr. *κατηχεῖν*, *nunciare*, *docere;* cf. Luc. 1: 4, Act. 18: 25, 21: 21—24, alibi. Deinde *κατηχούμενοι* dicti sunt *discipuli*, qui ad Christum profitendum erant adducendi, *κατηχηταὶ doctores* huic officio peragendo sese dantes, *κατήχησις institutio* ipsa, vel et liber ei inserviens.

Res parum diversa est sive agis cum pueris, sive cum hominibus rudibus, pueorum naturam haud uno respectu referentibus; item parum diversa, si agis vel cum his, qui parentibus Christianis sunt nati, vel cum iis, qui in religione alia prius vixerunt; nam homo ψυχικὸς quisque non intelligit, quae sunt spiritûs Divini. Quare non opus videtur separatâ disciplinâ, quam e Matth. 4: 19 nonnulli *halieuticam* dicunt, qua doceatur, quomodo Judaei ac Gentiles et Muhammedani ad religionem Christianam sint adducendi.

Caeterum religionis Christianae indoles priva hinc quoque elucet, quod haec sola institutionem catecheticam noverit. Catheses primas scripserunt post Carolum M. monachi nonnulli; porro Waldenses, Hussitae, inprimis Protestantes, rem longe ulterius provexerunt. Hujus institutionis historiam tractarunt cum alii, tum J. C. KOECHER, *Katechetische Geschichte der päpstlichen Kirche*, porro, *der reformirten Kirche*, item *der Waldenser*, *der böhmischen Brüder*, caet. Vide etiam J. C. W. AUGUSTI, *Proeve eener geschied- en oordeelkundige Inleiding in de beide hoofdkatechismi der Evangelische Kerk*, *Gron.* 1830, qui liber e Germanico idiomate est redditus. Cf. etiam PELT, *Theol. Encyclop.* § 103, p. 664—673, HAGENBACH, p. 341—344 ed. 2, HÜFFELL, *Ueber das Wesen und den Beruf des evangisch christl. Geistlichen*, § 73, T. I, p. 402—414 ed. 2, T. II, p. 6—19 ed. 4. Enchiridion vero admodum utile hujus facultatis exercendae edidit H. POLMAN, AZ., *Handboek voor het godsdienstig onderwijs*, *Haarl.* 1817.

Non negligendum in Nederlandia institutionem catecheticam non committi ludi magistris, etsi genius religiosus in scholis regnare debeat et regnet (supra p. 15); sed vel vulgaribus Euangelii praeconibus, vel peculiaribus catechetis, ad hoc unum institutis, ut informent pueros et rudes homines, vel et visitent aegrotos. — De optima vero horum catechetarum peculiarium ipsorum institutione vix adhuc exstant principia et praecepta bona; neque etiam adsunt Seminaria, his informandis inservientia.

§ 71

Catecheseos argumentum.

Quo prius incipitur catechetica puerulorum institutio, auctore Pastore, eo melius ea consilium attingere solet. Nec tamen satis juvabit, nisi ei praecedat praeparatio cum domestica, auctoribus parentibus, tum scholastica, auctore ludi magistro. Haec vero praeparatio aptissime conjungitur cum diebus Ecclesiae Christianae festis, Jesu Christi natalibus, cruciatibus, morte, resurrectione, escensu in coelos, spiritûs sancti effusione. Hinc etiam incipiat ipsa catechetica, quam Pastor largitur, puerulorum et rudiorum hominum informatio.

Quum pueruli jam inde ab infantia rerum sublimium et et divinarum sint studiosi, vix praemature haec institutio incipi potest.

Accuratior puerorum institutio incipiat a narrandâ historiâ pueritiae generis humani. Sed tunc etiam accuratissime narretur vita Jesu Christi. Addatur item, quae hucusque nimis negligitur, historia Ecclesiae Christianae, in qua vivere pergit Jesus Christus. Ita vero narretur historia, ut doctrinam moralem et dogmaticam inde efficiant, interrogante magistro, pueri ipsi.

Ecclesiae historiam ac historiam Biblicam rudibus tradendam esse, itemque sic tradendam, ut Christus ejus esset centrum, jam volebat, qui primus de hac re omni scripsit, AUGUSTINUS, *De catechisandis rudibus;* cf. V. OORDT, *Catechisatie naar Augustinus*, in *Waarh. in Liefde*,

1851, I. — Longe aliter quam nos de hujus institutionis initiis agit HÜFFELL, Tom. I, § 79—81, p. 431—441 ed. 2, Tom. II, § 10—12, p. 44—60 ed. 4. Nobis praesidium nascitur e multis Synodi Reformatae Nederlandicae inde ab a. 1816 mandatis. Imo vero nos sequimur ipsum Deum, historiâ, quae est ipsius patefactio, non doctrinae coelitus delapsae corpore, genus humanum instituentem.

Fastigium hujus institutionis catecheticae attingitur, si homines toto animo Christum amplectuntur, idque quia unicam hujus praestantiam perspiciunt et persentiunt ipsi. Ergo, quantum possint, hac institutione eo perducantur, simplices etiam, ut discant legere et intelligere Euangelia ipsi, item scripta Codicis Sacri reliqua ac libros populares, qui Ecclesiae historiam ejusve particulas enarrant, utque sentiant, haec, quae praebet patefactio Christiana, plane satisfacere indigentiae hominum spirituali ac prorsus convenire cum omni patefactione Divina reliqua. Cf. Eph. 4: 13.

Ut hoc fastigium attingant, duce magistro, legere et explicare debent Euangelia. Item, ut Euangelia et omnem Scripturam Sacram recte legere discant, usum praestabit L. EGELING, *Bijbelsch Leesboekje voor Katechisatiën en Zondagscholen.* Alia autem esse debet institutio catechetica aliorum hominum; eruditior et magis philosopha eruditiorum et cultiorum, v. c. in Gymnasiis et Academiis, ita ut scientiâ rerum aliarum majore non a Christo fiant alieni, sed ad Christum magis proni, ac v. c. cultum orbis Graeco-Romani agnoscant tanquam praeparationem, qua Deus Gentiles ad Ecclesiam Christianam ducere voluit, uti lege Judaeos. Cf. P. HOFSTEDE DE GROOT, *Vraagboekje over de geschiedenis van de opvoeding des menschdoms door God, tot op de komst van J. C.*, *Gron.* 1844.

§ 72.

Catecheseos methodus.

Quaenam hujusce institutionis methodus sit reliquis melior, tum modo intelligetur, quum clare constite-

rit, quodnam ejus sit consilium. Hoc vero nequit esse modo vel intellectûs informatio, vel memoriae complementum, vel voluntatis directio; sed uti religionis ipsius, quam catechesis in rudibus excitat et regit, sic et catecheseos propositum est, rite pieque docendo animum hominemque intimum totum instituere.

Cf. § 69, 70. HÜFFELL, T. I, § 77 ed. 2: »Der religiös-sittliche »Unterricht hat seine scharf ausgemittelte aber vielfältig »verkannte Eigenthümlichkeit. Er kann nicht ohne »Vernunft- und Verstandesbildung gegeben werden; aber »er soll nicht ausschliessend Verstandesbildung, sondern »einen *religiös-sittlichen Gemüthszustand* beabsichtigen; — »er kann die Gründe und Beweise, welche Natur, Er»fahrung, Geschichte und Vernunft an die Hand geben, »nicht entbehren; aber er soll dessen ungeachtet von »einen *absolut Gewissen* ausgehen, und dieses der Ju»gend als ein unantastbares Heiligthum vorhalten; — »er soll die Zöglinge nicht mit den Pflichten und Ge»boten in ihren ganzen Umfange unbekannt lassen; aber »er soll doch vor allen Dingen auf das *unmittelbare* »*Leben* der Katechumenen einwirken."

Ergo ante omnia curandum, ut sensus religiosus excitetur et regatur, quod fiet, si magna sancti veneratione Pastor hanc institutionem dirigit; si discipulorum memoriam minus torquet quaestionibus ediscendis, quam phantasiam occupat narrationibus, parabolis, historiâ vivide expositis; si intellectum et judicium exercet quaestionibus apte narrationi injectis ac conclusionibus, ex historia vel parabola a catechumeno ducendis, propositis; si omnia ita regit, ut ad suum animum suamque vitam catechumeni facile ipsi omnia applicent.

Methodum igitur probamus non adeo Socratis, quam Jesu, e cujus exemplo, Socratis exemplum superante, haec omnia duximus. Cf. § 70 ibique citatum LA CLÉ. Methodus autem haec est difficilis, neque in usu esse potest, nisi ubi magna est patientia, magna hominum diversorum ingeniique humani cognitio, magnus hominum puerorumque amor.

§ 73.

Institutio catechetae futuri quomodo in scholis Academicis sit tractanda.

Admodum difficile est hujus artis sibi comparare facultatem idoneam. Ejus theoria sola, utut docta, in scholis Academicis tradita, prouti theoria quaevis sola parum juvabit (cf. § 21, 22). Sed juvabunt theoria ac theoriae juncta exercitia catechetica, a Studiosis provectioribus, vel duce Professore vel sine eo, instituta cum pueris; magisque etiam Studiosorum inter se sodalitia, in quibus se interrogant invicem. Et vero scholae Professorum omnes, ad Socratis Jesuque exemplum, sint doctorum discipulorumque colloquia, adeoque institutionis catecheticae, gregi olim dandae, exempla.

2) *De arte homiletica.*

§ 74.

Homileticae natura.

Homiletica est ars, quae agit de ὁμιλίαις, orationibus sacris, bene habendis. Harum vero habendarum idem est principium idemque consilium ultimum, quod totius vitae pastoralis (§ 69, 70). Medium vero, quo consilium attingant, annunciare et exponere et commendare in conventu sacro Euangelium, ac per hoc universam Dei patefactionem in rerum naturâ et in historiâ generis humani datam, idque ita agere, ut inserviat Ecclesiae οἰκοδομῇ.

Non sapiendum est e sola Scriptura Sacra; nam Deus non solâ hac nos instituit, sed omni patefactione suâ; cf. § 56. Addi autem debet Sacrae Scripturae inprimis historia Ecclesiae et historia aetatis nostrae, quam utramque facilius capiunt homines, quam multas alias res. De hac vero universa patefactione, ideoque etiam de V. Foedere, sermo sic est faciendus, uti oratorem *Christianum* decet. Cf. de V. F. L. G. PAREAU, *Christelijke Leerredenen over Elia*, *Gron.* 1836. Nunquam

enim negligendum, semper esse debere orationum nostrarum argumentum *Euangelium* sive testimonium de Jesu Christo.

§ 75.

Artis homileticae officium.

Officium igitur Homiletices est, ea tradere de orationibus sacris praecepta, quibus hae ita conficiantur et pronuncientur, ut Euangelium hominibus reddant gratum vitamque excitent et perficiant in coetu Christiano vere Christianam. Quae praecepta maxime duci possunt ex Jesu et Apostolorum exemplo. — Hi nunquam subsistunt in adhibenda auctoritate, qua suam inculcent auditoribus sententiam, sed semper proprio quorumcunque hominum, etiam diversissimorum, ingenio ac studio accommodant praeconium suum, ut homines sentiant ipsi, videant ipsi, ipsi velint, quod Jesus et Apostoli.

Quot ac quaenam ex una oratione, in monte a Jesu habita, nos etiam nunc discere possimus hac in re, ostendit C. H. VAN HERWERDEN, CHZ., *Jezus Christus, in de Bergrede beschouwd als een voorbeeld voor den kanselredenaar*, *Gron.* 1829.

Porro ex eodem duci potest exemplo, uti argumentum semper est idem, sic formam orationum sacrarum semper debere esse aliam, temporibus gentibusque et hominibus diversis accommodatam, quia omnium temporum, gentium, hominum, aetatum humanarum linguis Euangelium est annunciandum; neque nobis igitur eandem esse posse formam, quae Jesu et Apostolis fuit.

Argumentum harum orationum semper idem esse debere, egregie docet Ecclesia more solenni hoc, quo earum partem insignem vult esse Codicis Sacri interpretationem; formam vero semper esse debere variam, docet eadem more eodem, quatenus non vult, ut praelegatur modo Codicis Sacri pars, sed ut et exponatur et ad auditorum conditionem applicetur.

De Jesu Christo, primario orationum sacrarum argumento, sed, pro diverso anni ecclesiastici tempore, varia ratione annunciando cf. W. MUURLING, *De Christus-verkondiging in de Gemeente*, in *Waarh. in Liefde*, 1849, II.

Denique hinc ducimus, aliam posse esse hanc formam pro oratoris cujusque ingenio vel magis poëtico, vel magis philosopho, vel magis mystico. At pellendae sunt certo ab omnibus orationes sacrae, quae mere sunt *dogmaticae*, *morales* sive *de officiis*, *doctae*, atque omnium maxime *polemicae*.

Cf. F. THEREMIN, *Die geistliche Beredsamkeit*, in ejusdem *Abendstunden*, I, 59—81. Quaecunque vero sit forma, ineptum est nomen, quod jam a Nederlandis tribuitur his orationibus, *Leerredenen;* cf. L. EGELING, *Vriendelijke vraag aan mijne Medebroederen*, *'s Hage* 1832, et A. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, *Leerredenen*, *Leeuw.* 1835, *Voorberigt.*

§ 76.

Ars homiletica quomodo in scholis Academicis sit tractanda.

Theoria Homiletices longa non juvabit, nec tamen exercitia ejus multa in Academiâ institui possunt. Ergo, quod ad formam, tranctantor stili cujuscunque boni, maxime oratorii, principia; quorum omnium primarium hoc est, recte sapere, i. e. vere cogitare ac sancte sentire. Tractantor vero ea principia, quia ars est eloquentia sacra, quae nulli adest, nisi qui naturam suam, utut bonam, exercitio multo adjuvarit et explicuerit; qua in re nobis exemplo et stimulo esse possunt oratores antiqui, qui ut causas privatorum dicerent ac reipublicae prodessent, nullis non se exercuerunt mediis ac laboribus.

Cf. HÜFFELL, l. l. T. I, p. 72, 105 sqq. ed. 2, quo priore loco agit de labore, quem impendere debemus, ut bene nobis cedat Euangelii praeconium, posteriore ostendit

in Homiletica etiam, uti in Rhetorica antiqua, sermonem esse debere de inventione, de dispositione, de elocutione, de declamatione. Nempe in hac nostra etiam arte valet v. c. illud antiquum de inventione: »Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?" In dispositione Antiqui nos doceant, sic proponere rei summam, ut haec incurrat et quasi saliat in oculos, unde non tantum initio thema accurate dicatur, sed peroratione etiam orationis propositum recolligatur. In elocutione flosculis abstinere nos moveat simplex ille Demosthenes. Declamationis verae pretium doceat nos idem, ei nihil non tribuens; ac Horatius in notissimo illo: »Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi."

Quod vero pertinet ad spiritum, quo animatus esse debet orator sacer, et ad argumentum, quod tractat, Homiletica est ars nova, e religione Christianâ demum nata; unde hac in re ex antiquis oratoribus non multa possumus discere; quamvis unus saltem Demosthenes doceat, primarium, quod vel civilem oratorem reddat disertum, esse veri amorem et amorem societatis, cui servit.

Uti e Catechetica, sic etiam ex Homiletica ortâ priva elucet religionis Christianae natura. Nam ante Ecclesiam conditam orationes de rebus Divinis sacrae vix habebantur, nisi interdum a Prophetis Hebraeis. In Ecclesia vero Christiana eo magis floruit cum orationum harum habendarum studium, tum etiam theoria, quomodo habendae sint, quo melior erat ipsius Ecclesiae vita et conditio spiritualis. Vide conspectum historiae Homiletices apud Hagenbach, Hüffell, alios.

Hoc vero inprimis sibi privum habet Homiletica Christiana, ut semper ad perfecti quid tendat, ad vere bonum, vere pulcrum, vere justum, vere Divinum, in perfecto Jesu conspicuum. Caeterum conf. VAN HEUSDE, *Brieven over hooger Onderwijs*, p. 280—285 de Demosthene eloquentissime disserentem; item F. THEREMIN, *Demosthenes und Massillon*, *Berlin* 1845.

Sed his principiis dilucide exponendis exemplorumque optimorum ope illustrandis, addantur tam frequens lectio et auditio oratorum excellentiorum, quam exercitia, quae cum orationis partium distributionem, tum ejusdem stilum, tum denique pronunciationem adjuvent et emendent.

Lis saepe fuit, quid ad orationes sacras bene faciendas afferre debeat natura, quid ars. In qua lite prorsus obliti fere sunt, naturam in nobis nunquam esse perfectam, sed hominis studio et arte semper esse perficiendam.

Sicubi, hîc valet illud CICERONIS, *Pro Archia* c. 7: »Fateor, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine »doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque »idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque »illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud, nescio quid, praeclarum ac singu»lare solere exsistere." Nolunt vero etiam nunc multi Homileticam esse artem, confundentes artem, id est facultatum nostrarum naturalium exercitium, cum artificio, facultatum et naturae locum occupante. *Artem* autem hanc ita exercere debet Euangelii praeco, ut fiat in ipso *facultas* ac *virtus*. Cf. F. THEREMIN, *Die Beredsamkeit eine Tugend.* De omni hac re multa, maxime de vitiis vitandis, monuit A. W. VAN HENGEL, *Institutio oratoris sacri, L. B.* 1829. Diversa eloquentiae genera comparavit N. G. VAN KAMPEN, quìcum cf. A. S. [STEENMEIJER] in Epistolis a. 1832 et 1833 insertis operi *Godgeleerde Bijdragen.*

3) *De arte liturgica.*

§ 77.

Hujus artis natura.

Nomen habet haec ars a voce Graecâ λειτουργία, quod est *ministerium publicum*, unde ad sacrorum Christianorum administrationem et regimen est translatum.

Cf. de hujus vocis notione et usu CLARISSE, *Encyclop.* § 100 (1).

Est autem idem ejus principium et consilium ultimum, de quo § 69, 70, 74. Medium vero, quo consilium attingat, est ei, regere manifestationem vitae Ecclesiae Christianae, quatenus est religiosa (non moralis). Quae vita quum se non possit non manifestare, necessaria est haec ars. Nempe jam singuli Christiani in familia sua precibus gratiisque conjunctis Liturgiam agunt; longe vero magis omnes conjunctim in conventibus publicis. In his autem hanc manifestationem sic regere, ut sit recta, artis est; artis vero sacrae, quia religionem explicat et adjuvat.

Cf. SCHLEIERMACHER, *Reden über die Religion*, Orat. IV.

§ 78.

Artis liturgicae characterismus.

Regnabat haec ars in Paganismo et Hebraismo, cui utrique publicum religionis exercitium paene solâ constabat Liturgiâ, eâque ad pulcri sensum inprimis compositâ. Regnat etiam nunc in Ecclesia Graeca, itemque in Romana, ubi sacerdotium, Gentili et Hebraeo simile, superest, et ita ibi regnat, ut pulcri exhibendi causâ verum exponendum nimis negligatur. Vel sic tamen adesse debet in Ecclesia omni, quum homines sensuali corpore praediti eâ carere nequeant; et esse pulcra, quum omnia sancta sint pulcra; atque esse etiam sublimis, quum religio omnis, cui inservit, res sit maxime sublimis. Quamvis autem non veri expositio sit Liturgia, hoc tamen etiam in hominibus adjuvare hujusque forma ac symbolum esse debet.

Nulla forte disciplina vel ars theologica cum practice tam imperfecta, tum theoretice tam incerta adhuc est, quam Liturgia. Hîc ab Antiquis multa disci posse, jam monebamus § 66, 3. Historiam Liturgiae in Christiana Ecclesia exposuerunt Hagenbach, Hüffell, alii ll. Quum autem Protestantes rei pretium non satis magnum haberent,

neque ejus theoriam rite explicare solebant. Nunc vero melius fieri incipit. Cf. v. c. quam felicem Liturgiae emendandae operam navaverit Synodus Reformatae Ecclesiae a. 1817; add. *Proeve eener herziening der Formulieren*, p. 95 cit. — Reliquis tamen aptius de Liturgia agere solent Theologi Romano-Catholici liberaliores. Sic recte universe DREY, *Studium der Theologie* (p. 33 cit.) § 278: »Das Princip dieser Construction (der Liturgie) ist im »Allgemeinen der Dualismus des Menschen, vermöge »dessen er ein geistiges und sinnliches Wesen zugleich ist, »worauf sich ein unmittelbarer Zusammenhang des Aeus»sern und Innern, des Geistigen und Sinnlichen gründet." Recte idem addit, sanctum modo formâ pulcri rite conspici posse. Nempe Deus omnia pulcrâ formâ induit, Jesumque nisi egregiâ formâ decorum nobis ob oculos ponere non possumus.

§ 79.

Liturgiae partes.

Constat Liturgia vulgaris apud Reformatos in Nederlandia in conventu sacro 1) publicâ Codicis Sacri praelectione, vulgo a ministro ordinis inferioris institutâ; 2) precibus gratiisque ab oratore sacro nomine coetûs factis; 3) carminibus a coetu ipso canendis, tanquam precibus et gratiis conjunctim ab Ecclesia tota effusis; 4) celebrandis Baptismo et Coena Sacra, tamquam actionibus symbolicis, quibus in coetu declaratur conjunctio vel incipiens vel continua cum Deo Christoque et Ecclesia Christiana; 5) sacrificiis donorum, inprimis pauperibus datorum.

Vulgaris vero haec Liturgia augetur vel et immutatur, quando novi Ecclesiae socii aut ministri inaugurantur, matrimonium sancitur, dies festus rarior celebratur, caet.

§ 80.

Liturgiae forma certane an incerta melior?

Si forma Liturgiae adest certa, prouti in Ecclesia Graeca, Romana, Anglicana, Lutherana, Borussica

Euangelica, utut bona sit per se, haec mox, quia est certa, fatigat neque amplius movet animum, ideoque brevi fit forma mortua. Etiam hanc noxam habet Liturgia certa, inprimis si est multiplex, ut futuri Theologi huic ediscendae insignem dare debeant operam, ac Pastores in eâ peragenda, quam in Euangelio annunciando, facile magis suum ponant officium.

Sin forma libera relinquitur, prouti in Ecclesiae Protestantis familiis Nederlandicis, insignior etiam, quam vulgo fit opera danda est artis liturgicae naturae bene perspiciendae et exercendae, ne cultiores homines sacris ordinandis offendamus et cum apud hos tum apud reliquos omnes animi Christiani sensum relinquamus destitutum eâ vi, quam ei, si non dederunt, saltem dare voluerunt Christianae Ecclesiae reliquae illae.

Exemplum Liturgiae optimum dederunt Fratres Euangelici; Liturgiae prorsus contemtae Quakeri.

Inprimis quaestio est difficilis, qualia esse debeant carmina sacra et quomodo, quae adsunt, magis magisque perficienda Cf. J. P. LANGE, *Die kirchliche Hymnologie oder die Lehre vom Kirchengesang*, *Zurich* 1843.

§ 81.

Liturgiae cum Homiletica conjunctio.

Ubi Liturgia sola ad res coelestes erigere debet animos, quod v. c. in Ecclesia Graeca Russica locum habet, ei injungitur officium, cui gerendo est impar. Adjuncta esse debet Liturgiae Homiletica, eâque ratione adjuncta, ut totus cultus sacer semper una sit eademque continua Ecclesiae cum Deo Christoque communio. In hac vero communione Ecclesia sensum suum maxime coram Deo effundit per Liturgiam, voluntatem vero mentemque suam Deus Ecclesiae manifestat per Homiletae praeconium. Utrumque junctum est igitur maxime solenne communionis Sanctorum exercitium.

§ 82.

Ars liturgica quomodo in scholis Academicis sit tractanda.

Liturgiae exercitia in Academiis institui vix possunt. Liturgicae arti bene discendae parum etiam proderunt praecepta; longe plus exempla bona, quae videat et ad ingenium suum excolendum adhibeat discipulus. Multum porro juvabit, si futurus Sacrorum antistes pulcri sensum in se acuat, ac musicae et cantui ipse quoque det operam.

Igitur ex institutis Academicis nihil magis prodesse poterit, quam bene ordinatae Liturgiae exempla in sacris Academicis (§ 23) danda. Quamvis etiam vel hanc ob rem optandum sit, ut Academiae insigniorem dent musicae, cantui omnique arti locum, quam hucusque vulgo fit.

4) *De cura gregis pastorali.*

§ 83.

Curae pastoralis natura et officium.

Hujus quoque curae principium et consilium ultimum est idem illud, quod exposuimus § 69. Medium vero, quo hoc consilium attingat, curae pastorali est, curare consuetudine peculiari singulos gregis socios singulasque familias.

Nempe prouti Jesus non modo gregem docuit, sed etiam peculiari cura singulos multos homines, maxime Apostolos, instituit eosque docuit alios instituere, Matth. 10: sic Pastores, hujus summi Pastoris exemplum secuti, non modo gregem conjunctum monere et docere debemus, verum etiam singulos gregis socios excitando, juvando, perficiendo curare secundum suam quorumvis conditionem.

In nulla muneris sacri parte luculentius apparet, Theologum spiritu sancto debere esse plenum, ut rite eo munere fungatur. Cf. § 16 et M. A. AMSHOFF, *Herin-*

neringen en wenken, betrekkelijk de Evangeliebediening, Gron. 1843; quo libello minus ostenditur, quid *agere*, quam quid *esse* debeat Pastor.

§ 84.

Ejusdem partes.

Quod ut assequaris, et vitam religiosam tuam ostendere, et cum singulis colloqui eosque domi visere, et ad singulorum captum et utilitatem accommodate te gerere debes.

Igitur omnium Christianorum singulorum te ostendes amicum; singulorum vitam curabis spiritualem; eorum quemvis visitabis, inprimis, si laeti quid acciderit, vel si calamitate est afflictus, vel si aegrotat (quod vero saepe minus prodest aegroto, quam aegroti familiae); omnes visitatione solenni domestica adibis. Haec vero visitatio, quam confessionis auricularis loco instituit Calvinus, quantum fieri potest, uti confessio erit tibi tractanda.

Haec visitatio domestica cum Genevae, tum in Nederlandia, tum denique in Scotia magnum praestitit usum; itemque in Suecia, cujus Ecclesia Lutherana eam maxime inde ab anno 1726 itidem recepit. Quid? quod hinc inprimis videtur derivandum, quod in iis regionibus gentes universe magis sint religiosae meliusque moratae, quam in plerisque Europae regionibus reliquis, etiam illis, ubi Ecclesia Euangelica caeterum regnat, sed abrogatae confessioni auriculari nihil substituit, quod satis esset efficax. — Attamen tale quid in Lutheranam Germaniae Ecclesiam Spener, in Catholicam ibi Ecclesiam Sailer introducere sunt conati. — De hujus visitationis, maxime in Nederlandia, origine, ratione et usu egregie scripsit G. C. SLINGERLAND CONRADI, in Comment inserta *Anal. Acad. Rheno-Traj.* a. 1827—1828.

Cura haec complectetur nosocomia, carceres, receptacula pauperum, coecorum, aliorum miserorum; inprimis scholas, inferiores ac superiores, tum etiam societates

ac conventus, ut Christi ibi regnet spiritus. In his vero ut rite agat, nonnullam dederit operam Pastor necesse est, qua cognoscat principia, secundum quae pauperes sint tractandi, principia paedagogices, initia psychiatriae.

§ 85.

Ejusdem usus.

Magnus hujus curae est usus, imo eâ carere nequit Ecclesia, ut *omnes* perducat ad Christum, omnium Servatorem, et in Christo perficiat omnes; neque enim carent Christiani Servatore, sed multi carent amico, qui ipsos ad Servatorem quasi manu ducat. Eam vero curam exercere non possunt soli Theologi. In Ecclesia apostolica erant Episcopi sive Presbyteri, ac Doctores, Euangelistae, Diaconi, Diaconissae; itemque omnes, qui deinde dicti sunt Laïci, erant Sacerdotes. Ad quod exemplum est redeundum.

Hac curâ pastorali, inprimis si sibi aliorum opem adjungere scit (conf. Act. 6: 2, 3), saepe etiam prospicere potest pastor terrenis pauperum et aegrotantium commodis, quod exemplo egregio ostendit summus ille Oberlin. Hac etiam curâ Pastor bonus, praecipue rure, Ecclesiae suae esse potest quasi pater familias. Cf. HÜFFELL, T. I, p. 57—60 ed. 2, 177—180 ed. 4. Sequatur vero hac etiam in re Jesu prudentiam Luc. 12: 14.

§ 86.

Cura pastoralis quomodo in scholis Academicis sit docenda.

Hujus curae exercitia in Academia vix esse possunt. Attamen theoretice ejus principia, difficultates, momenta, alia sunt exponenda. Practice cura, quam Professores habent circa Studiosos, exemplo esse debet. Initia curae pastoralis exercere jam debent Studiosi ipsi inter se,

dum amici amicos, provectiores novitios exemplo suo bono monitisque sapientibus adjuvant.

Cf. Partem I, inpr. § 7, 8. Multum porro proficere possunt Pastores futuri, quando Ministerii Candidati facti vicarios agunt Pastorum fidelium. Quod si ipsis non contingit, se ipsi etiam in eo loco, ubi vivunt, quasi vicarios reddere possunt, pastorum oneribus partim in se suscipiendis. Item se ipsi ulterius informare possunt Studiosi et Candidati legendis biographiis Pastorum excellentium (quales citavit HAGENBACH, p. 397 ed. 2) et praestantium Missionariorum.

5) *De jure ecclesiastico.*

§ 87.

Juris ecclesiastici officium.

Hujus quoque juris principium et consilium ultimum idem est, de quo § 69. Medium vero, quo consilium attingat, ideoque officium ei est, sic regere externam Ecclesiae vitam, ut omnia in Ecclesia et in Ecclesiae cum Civitate conjunctione fiant ordine, eoque ipso omnia fiant liberius et fructuosius.

Huc pertinent v. c. leges de bene instituendis catechumenis, catechetis, Euangelii praeconibus; de cultu sacro apte dirigendo; de Ecclesiae libertate secure tuenda; de bonis Ecclesiasticis juste administrandis; de pauperibus rite curandis.

Jus Ecclesiasticum olim vulgo *canonicum* dicebatur, quia inprimis e Conciliorum canonibus erat petitum. Hoc in ordinem aliquem redegit GRATIANUS, *Concordia discordantium canonum*, a. 1150 edita; quam cremavit Lutherus.

§ 88.

Juris ecclesiastici varietas et difficultas.

Nulla est Theologiae pars, quae magis vario et contrario modo excolitur, quam jus ecclesiasticum, cujus utraque

pars, et qua se ipsa bene regere debet Ecclesia, et qua bene cum Republica debet esse conjuncta, tam practice quam theoretice diversissimo modo tractatur et explicatur.

In ipsa Ecclesia regimen est vel *a*) Clericorum solorum, Papae et Conciliorum in familia Romano-Catholica, Episcoporum in Anglia, caet.; vel *b*) Clericorum et Laicorum simul, quod dicitur Presbyterianum et invenitur in Scotia, Nederlandia, alibi inter Protestantes; vel *c*) Consistorii, a Republica constituti, quod in Germaniae regionibus adest multis.

Duplex autem saepe adest error; in Ecclesia Romano-Catholica hic, ut Pastor habeatur pastor *ovium*, non *hominum*, ratione ac jure hac utendi praeditorum; in Ecclesia Protestanti hic, ut Pastor habeatur non gregis *pastor*, sed *famulus*, qui nunc sequi debeat, quo grex praeit, nunc subsistere, ubi gregi placet.

Ecclesiae cum Republica conjunctio vel est *a*) haec, ut Respublica omnia regat, prouti antiquitus inter Gentiles locum obtinebat et nunc inter haud paucos Protestantes, olim saepe defendentes principium hoc: »cujus est *regio*, ejus etiam *religio*"; vel *b*) haec, ut Ecclesia regat omnia, quod justum esse contendunt Papistae sive Ultramontani; vel *c*) haec, ut Respublica in se quidem habeat Ecclesiam aut Ecclesiae familias, sed his tribuat libertatem et aestimationem vel eandem vel majorem, quam aliis societatibus, quae literis atque artibus colendis inserviunt, quae est conditio multarum Ecclesiae Protestantis familiarum. De hac conjunctione agunt tam qui de jure Ecclesiae scripserunt, e quibus nonnullos citabimus ad § 85, quam qui de jure Civitatis, v. gr. H. GROTIUS, *De jure belli ac pacis*, II, 20, 44—51, MONTESQUIEU, *De l'esprit des lois*, L. XXIV et XXV; item citati a cl. DEN TEX, *Encyclop. Jurisprud.* § 104—110.

Quod vero neque Ecclesiae ipsius regimen neque ejus cum Republica conjunctio hucusque vel practice vel theoretice vulgo rite sint comparata, hujus rei causa inprimis est etiam in eo, quod juris ecclesiastici offi-

cium multi quaesiverint praecipue in ea re, quam ei juri diserte exemit Jesus Christus (Matth. 23: 8—10), in definitione et sanctione doctrinae cujusdam certae.

§ 89.

De jure constituto et constituendo.

Uti omne jus, sic etiam ecclesiasticum dividi potest in jus constitutum et constituendum. In jure constituto cognoscendo cum ad reliquas regiones et Ecclesias animus advertatur, tum inprimis ad jus regionis et Ecclesiae, in quibus vivis.

Cf. F. WALTER, *Lehrbuch des Kirchenrechts aller christlichen Confessionen*, inde ab a. 1822 jam novem editionibus divulgatum, et H. J. ROIJAARDS, *Hedendaagsch Kerkregt bij de Hervormden in Nederland*, II Deelen, *Utrecht* 1834, 1837. Corpus juris hujus edidit G. VAN DER TUUK, ejusque compendium cum idem hic, tum C HOOIJER.

In jure constituendo omnia repetenda sunt e spiritu et consilio Jesu Christi, componenda vero ad utilitatem temporum et populorum diversorum et Ecclesiae familiarum diversarum.

Cf. N. C KIST, *De Christelijke Kerk op aarde* (ed. 2, *Leiden* 1835), secundum quem Ecclesiae est 1) jus confessionis, 2) jus sacrorum, 3) jus regiminis, 4) jus sacerdotii, 5) jus reformationis, 6) jus disciplinae et excommunicationis.

Jus constitutum semper est exigendum ad jus constituendum, ut, quod ei deëst, rite suppleatur ipsumque illud semper magis perficiatur. Quod ni fiat, jus scriptum regnabit et litera scripta; quod nemo forte magis metuit quam Lutherus.

Cf. JOH. SCHUDEROFF, *Die Juristen in der protestantischen Kirche nach Luther*, *Zeitz* 1817.

Nempe Ecclesiae regimen, si litera scripta regnat, mox erit penes jureconsultos, vel forte penes Ecclesiae

praepositos spiritu juridico, non Euangelico, animatos, quo facto ecclesiastica Lex locum Euangelii Jesu Christi occupabit. — Jus constitutum, in rebus humanis omnibus saepe juri naturali praelatum, acriter taxavit GÖTHE, in Tragoedia *Faust* ita disserens:

Es erben sich Gesetz' und Rechte
Wie eine ew'ge Krankheit fort;
Sie schleppen von Geschlecht sich zum Geschlechte,
Und rücken sacht von Ort zu Ort.
Vernunft wird Unsinn, Wohlthat Plage;
Weh dir, dass du ein Enkel bist!
Vom Rechte, das mit uns geboren ist,
Vom dem ist, leider! nie die Frage.

Si in Ecclesia Christiana jus constitutum nimis aestimatur, hoc inprimis quoque impedit, quominus spiritus Christi regnet atque agat per omnes Ecclesiae socios. Tum enim mox non hi omnes, sed soli Pastores ac reliqui praepositi commodum Ecclesiae curabunt, pauperes sustentabunt, aegrotos visitabunt, rudes instituent. Nunc vero id jus constitutum non regnare solum, sed jus constituendum observari, liquet e societatibus religiosis et beneficis in dies pluribus ubivis hac nostra aetate orientibus

Caeterum praestantissimum nobis videtur exemplum, quomodo jus ecclesiasticum sit tractandum, opus viri cl. ROIJAARDS modo citatum, quia in eo jus Reformatae Ecclesiae constitutum *et* accurate exponitur *et* semper adigitur ad jus e Christi spiritu constituendum, ita ut juris ecclesiastici conditio realis cum ejusdem consilio ideali eximie ibi conjungatur.

Hujus autem rei ratione habita, magnum est in jure ecclesiastico discrimen Ecclesiae Catholicae et Euangelicae; quod vere ita describit HAGENBACH, *Encycl.* p. 344, 345 ed. 1: »Es wird sich uns indessen hier dasselbe »zeigen, was auf dem Gebiete der Liturgik, dass nämlich für den Protestanten der allgemeine, grundsätzliche Theil des Kirchenrechts der wichtigere ist, »während der katholische Kanonist es grade mit der

»bis in das Kleinliche gehenden Mannigfaltigkeit der »einzelnen Bestimmungen zu thun hat. So wenig sich »nun der protestantische Theolog in liturgischer Hin-»sicht begnügen soll, bloss das gehörig verwalten zu »können, was vorgeschrieben ist, sondern sich vielmehr »in seiner wissenschaftlichen Bildung dahin erheben »muss, selbst eine neue Liturgie mit hervorzurufen, »wo es Noth thut, und somit selbständigen Antheil am »Kirchenregimente zu nehmen; so wenig darf er sich »in Dingen des Kirchenrechts und der Kirchenverfassung »mit dem begnügen, was leider oft nur durch den »zum *abusus* gewordenen *usus* besteht, sondern er soll »die nöthige Kraft und Klugheit in sich vereinen, ein »auch in seiner äussern Ercheinung besser geordnetes »kirchliches Leben da mit hervorzurufen, wo es noch »nicht besteht."

§ 90.

Jus ecclesiasticum quomodo in scholis Academicis sit tractandum.

Juris cum omnis, tum ecclesiastici, ejusque non modo constituti, sed etiam constituendi principia philosophice et historice a Doctore sunt exponenda. Quum vero Ecclesia omnis ac quaevis ejus familia sit societas moralis et religiosa, vel in suis inter se sodalitiis (§ 22, 3) Studiosi sese practice exercere possunt, ut societatis cujusvis bene ordinandae leges rite dignoscant.

Cf. H. J. ROIJAARDS, *Het Kerkregt als wetenschap, ook voor Academisch onderwijs*, *Amst.* 1849.

6) *De cura generis humani apostolica.*

§ 91.

Haec cura quid sit.

Cura generis humani apostolica ea est Theologi Christiani cura, qua se gerit Ecclesiae unius et universalis, olim genus humanum omne complexurae, Pastorem. Habet haec cura idem principium et consilium ultimum,

de quo agit § 69. Medium vero, quo consilium hoc assequatur, ei est, excitare in hominibus Christianis conscientiam, ipsos esse unius et universalis illius Ecclesiae Christianae et vero totius generis humani socios, ac provehere studium convenienter huic conscientiae agendi.

Hanc apostolicam generis humani curam in prioribus editionibus dicebamus *vitae ecclesiasticae studium*, non quia nomen hoc prorsus habebamus aptum, sed quia melius nondum inveniebamus Quare hoc jam putemus aptum, vide e § 92.

§ 92.

Ubinam inveniatur haec cura.

Invenitur in Jesu Christo, totius mundi Servatore, qui hanc curam in Apostolis excitavit. Apostoli autem, quippe a Domino ad genus humanum legati, huic curae explendae sic vivebant soli, ut cura haec generis humani *apostolica* dici mereatur. In his tamen nemo eam magis explicuit et commendavit atque exsecutus est, quam Paulus. Porro regnat in Ecclesia Romano-Catholica, quae eam impure quidem, sed ardenter fovet, adeo ut non modo terrenam, sed, in Sanctorum veneratione, etiam coelestem complectatur Ecclesiam. Item adest in Fratribus Euangelicis, Christum inter Gentiles maxime annunciantibus, adeo ut eorum Ecclesia tota jam sit Ecclesia missibus curandis dedita. Inter Protestantes reliquos nostrâ demum aetate sese laetius exserere incepit, quum societates Bibliis spargendis et Missibus curandis destinatae ac similes orirentur.

Quod haec cura ubivis inveniatur apud Romano-Catholicos, rarius inter Protestantes, derivandum ex opposita utrorumque sententia de Ecclesia. Recte SCHLEIERMACHER, *Der Christl. Glaube*, T. I, p. 145: »Der Protestan»tismus macht das Verhältniss des Einzelnen zur Kirche »abhängig von seinen Verhältniss zu Christo, der Ka»tholicismus umgekehrt das Verhältniss zu Christo von »seinem Verhältniss zur Kirche." Quae utraque ratio

conjungenda est; nam per Ecclesiam ducendi sumus ad Christum, ut mox Christi spiritu pleni Ecclesiam ipsam eo spiritu magis animemus.

§ 93.

Cura haec quomodo in Ecclesia ulterius sit excitanda et alenda.

Omnia, quae de theologia practica (§ 70—90) vidimus, ad hanc curam praeparare et ducere Theologum jam debent. Maxime porro societatum illarum (§ 92) commendandarum similiumque erigendarum ope eam curam in Ecclesiae etiam sociis adjuvare potest. Harum nempe origo fuit, ut Gentilibus Euangelium annunciaretur; progressio est, ut his Christianis ipsis, qui vix sunt instituti, paretur institutio; finis erit, ut omnes harum societatum sodales sentiant, sibi etiam multum deesse, ac conentur, se quoque ipsos alter alterum excolere.

Quantum Ecclesiae ipsius cura promota sit ope societatum illarum, quae Euangelium ad Gentiles perducunt, liquet ex nomine novo, ei curae indito, *missûs interni*, quod nomen, antea ignotum, nunc ortum, indicat tam studium hujus curae longe ardentius, quam hujusce studii originem. Editur etiam inde ab a. 1845 hujusce curae praestitae enarratio continua, cui titulus est: *Fliegende Blätter aus dem Rauhen Hause bei Hamburg, enthaltend Mittheilungen über alle dem Gebiete der innern Mission angehörenden Bestrebungen, Vereine, Anstalten zur Hebung der Nothstände innerhalb der Christenheit.* Quorum foliorum editor, J. H. WICHERN, a. 1849 etiam in lucem misit opus praestantissimum, *Die innere Mission.*

§ 94.

Curae hujus necessitas et effectus.

Hac cura destitutus esse potest nemo, qui vere est Christianus, quum eo etiam consilio acceperimus Christum, ut eum communicaremus cum omnibus, neque

etiam quis verum erga homines fovere et ostendere possit amorem, nisi hac cura plenus.

Effectus autem hujus curae in nobis hic erit, ut quo magis ea vigeat, eo minus in nobis esse possit egoismus et particularismus, quum alios curemus Ecclesiae socios, hominesque curemus omnes, ut Ecclesiae fiant socii; neque hos modo complectamur, qui in terris vivunt, sed etiam, qui jam sunt in coelis, atque cum Ecclesiâ hac totâ terrenâ et coelesti doleamus ac gaudeamus, ideoque vitam nostram extendamus et sic melius beatiusque vivamus.

Forma, qua haec cura jam a multis exercetur, est haec, ut oriatur patronatus quidam, sive ut omnes Ecclesiae socii magis exculti patronos agant nonnullorum minus excultorum.

§ 95.

Cur opus sit hujus curae institutione.

Exstat quidem hujus studii apostolici praxis, eaque jam diu, uti vulgo prius adest rei cujusdam praxis, quam theoria: sed tandem nunc opus quoque est ejus theoria, quae praxin purget atque adjuvet.

Hujus theoriae erit, primo, ostendere, esse cum Pastorum tum omnium Christianorum officium duplex, particulare et universale, illud, quo suo prospiciant loco et gregi, hoc, quo toti Ecclesiae ac generi humano omni sint praesidio; deinde, exponere, quomodo officium alterum cum altero sic sit jungendum, ut pugna oriatur nulla, imo alterum ab altero juvetur.

Utrumque officium sibi curae cordique esse ostendit Ecclesia Antiochena, Act. 13: 1—5[a]; coll. 14: 26, 27. Verum Ecclesiae Hierosolymitanae, Diaconos modo instituentis Act. 6, exemplum secuta est Ecclesia posterior tota; non item, quod etiam sequi debuerat, exemplum Ecclesiae Antiochenae, Euangelii praecones emittentis. Cf. P. HOFSTEDE DE GROOT, *De Zending door de Gemeente*, in *Waarheid in Liefde*, 1847, II.

Sed si jam Ecclesiae est, Ecclesiam propagare, id quo modo ac jure est agendum? Quo modo ac jure se igitur ad Ecclesiae regimen habebunt societates Biblicae ac beneficae reliquae multae? Sane, non videntur Ecclesiarum rectores regere debere has societates, sed harum regimen potius permittere sociis Ecclesiae talibus, qui ejus bene gerendi facultate et occasione gaudent; neque tamen hae societates prorsus ab Ecclesiae familiis separatae sint. Sint societates hae, quales fuerunt suo tempore ordines monastici et equestres meliores, *in* Ecclesia iis favente, nec tamen ab Ecclesiae *regimine* pendentes.

Hîc non exponimus, quomodo sit informandus, qui ipse, Apostolorum instar, jam Gentilibus Christum sit annunciaturus. Instituitur vulgo in Seminario missuum, secundum id quod praesens indigentia videtur flagitare; dum viri eruditi nondum inquisiverunt, quid ex ipsa rei ratione hac de re sit constituendum. Erit hoc ex Jesu exemplo, Apostolos primos instituentis imprimis derivandum.

§ 96.

Hujus curae institutio quomodo in scholis Academicis sit agenda.

Agenda est curae hujus institutio cum theoretice tum practice. Theoretice, ostendendo, nihil esse Ecclesiam Christianam, nisi sit communio Sanctorum, miserrimosque esse omnes, qui hac communione sint destituti. Practice, experiundo, ipsam Academiam esse communionem Professorum et Studiosorum, ac Studiosorum inter se, quae ideo dicta est *Universitas*, atque hujus inprimis communionis ope suum accepisse Europaeos recentiores cultum doctum, moralem, spiritualem.

CAPUT III.

DE TOTIUS REI CHRISTIANAE RECOGNITIONE.

§ 97.

Quid jam sit exponendum.

Ad finem pervenimus Encyclopaediae, quatenus Jesus Christus objective est cognoscendus et subjective in Theologo vivere debet. Haec vero quum per partes tractaverimus, jam has partes simul comprehendere debemus, tanquam unum aliquod totum, de quo tandem judicium nostrum est conficiendum. Quod ut rite conficiamus, philosophice jam est inquirendum in haec omnia, quae tractavimus, conjunctim; itaque exponendum, num religio Christiana evidenter sit et *vera* et *salutaris*, ut rei Christianae totius pretium et theoreticum et practicum Theologo docto, eique aliorum institutori, pateat. Est ergo religio haec tota aestimanda *ex vero*, commendanda *ex indole salutari*.

Non dubitamus hanc totius rei Christianae recognitionem (quae quid sit, vidimus jam § 27), ideoque ejus partes dogmaticam et apologeticam (§ 98), ad philosophiam referre, ob causam ad § 56, p. 81, 82 indicatam. De dogmatica, tanquam disciplinâ philosophâ, haec verba scribit J. D. MICHAËLIS, quae approbat CLARISSE, *Encycl. Theolog.* p. 481: »Philologico labore perfunctus, de »rebus, quas tradunt Sacrae Literae, philosophatur »Theologus; id est, quaerit, quantum ejus fieri potest, »quo quidque modo et cur ita contingat. — Vix homo »est de plebe, paulo religiosior attentiorque Sacro Co- »dici, qui non interdum ita philosophetur; quod facere »eum docet et paene cogit liber coelestis, ipse saepe

»rationes rerum reddens, et lectorem vel indoctum ne-»cessariis tamen φιλοσοφουμένοις initians. Frequentius »autem et impensius idem facere debet, qui non cate-»chismum indoctis, sed erudiendis futurisque Theologis »theologiam praeit dogmaticam."

Neque tamen Dogmatica et Apologetica ideo sunt doctrinae speculativae, quae nunc dicuntur; sed philosophae, in rem historicam inquirentes. Historicum porro characterismum habent etiam hactenus, quatenus philosophari nobis non licet ultra terminos, quos aetatis nostrae lux nobis ponit.

§ 98.

Hujus expositionis partes.

Prius illud agit *Dogmatica*, posterius *Apologetica*. *Dogmatica* non est fidei doctrina (*geloofsleer*, *Glaubenslehre*): haec pertinet ad institutionem moralem: sed est rei theologicae aestimatio ex vero, i. e. disquisitio docta, qua pateat singularum idearum religiosarum veritas et cunctarum conjunctio vera.

Vulgo tanquam Theologiae partes valde correlatae sibi adjunguntur dogmatica et moralis doctrina. Nobis videtur, uti illa rei totius Christianae *aestimatio ex vero*, sic haec *vitae expositio sanctae*, quam a Jesu Christo habet Christianus. Ergo haec est theologiae pars specialis, sed illa philosopha totius religionis atque idearum religiosarum, etiam quae in parte ea inveniuntur, contemplatio, omnes ideas apte conjungens et disquisitione vindicans docta, quae tandem ad disciplinae eruditae rationem definite effatur, quae vera esse invenit. Sic Philosophi veteres inquisitionis suae exitum efferebant decretis, quae δόγματα ab ipsis dicebantur.

Apologetica non est defensio religionis Christianae: haec modo est ejus pars: sed est rei Christianae commendatio propter ejus indolem praeclaram et salutiferam, qua ab omni parte est dignissima, quae a genere humano penitus recipiatur.

Ex hac Dogmatices et Apologetices natura intelligitur, cur systema dogmaticum cum prolegomenis apologeticis olim diceretur *Theologia*; itemque, cur haec a nobis in Encyclopaediae fine tanquam rei theologicae corona et fastigium ponatur.

Error est, isque gravis, si Dogmatica habetur fundamentum vel theologiae vel ipsius religionis; cf. § 57, 2), 71.

SECTIO I.

DE TOTIUS REI THEOLOGICAE AESTIMATIONE EX VERO, SIVE DE DOGMATICA.

I. *Institutio praevia.*

§ 99.

Institutio Dogmatici praevia, formalis.

Qui ex vero rem theologicam Christianam rite aestimare velit, praevie jam institutus sit, oportet. Ante omnia gaudeat ac plenus sit:

1) *Veri studio*, quod ex animo puro et sancto oritur, ac sine quo tota haec Dogmatica est nulla.

Cf. J. F. VAN OORDT, *Oratio de vero in theologia unice sectando*, *L. B.* 1840; item W. MUURLING, *Philalethes, Over de Waarheidsliefde*, *Leeuw.* 1840. Necesse esse, hoc semper denuo monere, liquet etiam ex modo, quo haud pauci haec opuscula receperint. Nempe vehementer accusarunt scriptores hos, quod *veri studium* commendaverint ambo, *verumque*, non *doctrinam* in Ecclesia Reformata *traditam*, habuerit ille principium Dogmatices et Theologiae. Cf. quae de Hollebeekio retulimus p. 8.

2) *Verum inveniendi et judicandi solertiâ*, quae potissimum nascitur ex antiquorum Philosophorum, inprimis dialogorum Socraticorum, lectione et ex operâ cum mathesi tum dialecticae universaeque philosophiae datâ.

§ 100.

Institutio Dogmatici praevia, materialis.

Sed etiam nonnulla didicisse debet.

1) *Universe* novisse debet *philosophiam theoreticam*,

inprimis metaphysicam, hujusque culmen theologiam naturalem. Ergo operam dederit, necesse est, inprimis Platoni, Stoicis, Kantio, Hemsterhusio, Heusdio.

Cf. VAN HEUSDE Tomo IV operis *De Socratische school*, qui etiam inscribitur *De Metaphysica*. Item P. HOFSTEDE DE GROOT, *Institutiones Theologiae naturalis*.

2) *Specialiter* operam praeviam dederit, necesse est, *institutioni theologicae omni*, interpretationi N. Foederis, historiae Ecclesiae, institutioni morali, theologiae practicae. E N. F. ducenda est dogmatica quaedam sive potius theologia Jesu Christi, Pauli, Johannis, reliquorum Apostolorum; ex Ecclesiae historia derivanda est historia doctrinae universae singulorumque dogmatum; ex institutione morali ducendum est, quid sit in homine ipso religio Christiana; e theologia practica, quomodo haec religio informetur in aliis.

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat historia Dogmatices.*

§ 101.

Quam diverso modo hucusque tractata sit Dogmatica Christiana.

Si historiam percurrimus, videntur inprimis haec observanda.

1) *Dogmatices principium* dedit Jesus Christus, discipulis omnibus et promittens et largiens *spiritum veri*. Ergo non dedit Dogmaticam ipse, sed dedit principium creans, ordinans, animans, quo imbuti non poterant non conari ejus discipuli et amici veram sibi de re Christiana theoriam informare.

2) Ergo mox adsunt saltem *Dogmatices initia*, quae

protulerunt mystice Johannes, dialectice Paulus Apostolus; porro Justinus Martyr, Patres Alexandrini, Augustinus. Quaerisne, cur hi potissimum, hique soli? Quia hi philosophice erant informati. Neque tamen systema sive corpus doctrinae apte junctum horum aliquis edidit, sed quisque modo ideas, ad rei Christianae aestimationem ex vero pertinentes.

3) *Dogmatica scholastica* sequitur, cujus fuit imperium a Johanne Damasceno usque ad Lutherum. Orta est, quod ad formam suam, e formulâ baptismi, Matth. 28: 19, primum sensim dilatatâ, v. c. ab IRENAEO, *Adv. Haer.* I, 10, 1, a TERTULLIANO, *de Praescr.* 13, ORIGENE, *de Principiis*, *Praef.*, in Symbolo, quod Apostolicum dicitur, in Concilii Nicaeni et Constantinopolitani confessionibus, caet.; deinde populariter explicitâ, v. c. a Gennadio Massiliensi, qui saeculo V floruit; tandem docte expositâ, quod philosophiae Graecae ope primus fecit Johannes Damascenus, qui secundum hujus formulae ordinem saeculo VIII primum composuit Dogmatices systema, quod regnavit usque ad Reformatores. Illud systema Anselmus et Abaelardus modo diverso, saepe contrario, explicuerunt; Lombardus, Patrum sententiis collectis, ob oculos posuit; Thomas Aquinas scholastice interpretatus est; quos, si rei summam spectas, usque ad saeculum XVI secuti sunt Theologi omnes. — Meliora indicarunt in multis ejus partibus plerique Reformatorum praecursores, v. c. Gansfortius et Erasmus, quos vero paucissimi intellexerunt.

4) *Dogmatices Euangelicae conamina*, in quibus longe magis ad anthropologiam et soteriologiam respicitur, reperiuntur a Luthero usque ad tempora nostra. Lutherus tamen, popularis potius scriptor, quam doctus, talem Dogmaticam non condidit ipse; sed Melanthon, rationem secutus maxime Antiquorum ordinemque Sententiarum Lombardi. Porro Zwinglius et felicius etiam Calvinus systema composuit, maxime e mente Augustini, formâ dialecticâ sese commendans. Calvino nonnulla,

Augustino quam plurima debent quoque in Ecclesia Catholica Jansenistae. Melanthonem et Calvinum secuti sunt multi Protestantes; ita tamen, ut, Huttero, Gerhardo, Voetio aliisque praeeuntibus, scholastica doctrina nova inter Protestantes oriretur, in qua Dogmaticae fundamentum in dies minus habebatur *Euangelium*, quam placita nonnulla Ecclesiastica, quae (ratione eâdem, qua Patres Alexandrini jam celebraverant πίστιν) *articulorum fundamentalium* nomine honorabantur. Petierant autem haec e symbolis Ecclesiae cum antiquae tum instauratae, eaque constituebant criteria, quibus se a secus sentientibus distinguerent.

Quid vero in hac Dogmatica ecclesiastica sit veri bonique, egregie docet K. HASE, in opere, *Hutterus redivivus*, 6 ed. 1845, ubi antiquam Lutheranorum Dogmaticam aevi nostri cultui convenienter explicuit.

Postquam a medio saeculo XVII in Nederlandia Dogmaticam ad fundamentum Biblicum reducere conati erant cum Remonstrantes, veluti Episcopius et Limborchius, tum Joh. Coccejus hujusque asseclae, inde a medio saeculo XVIII inter Germanos orta est Neologia, Dogmaticam antiquam destruens, maxime ope Theologiae Biblicae et historiae dogmatum. Auctor inprimis erat Semler, qui fecit, ut plerisque videretur *et* Theologia Biblica, *et* Codex Sacer, *et* historia Ecclesiae, saltem historia dogmatum, chaos sive rudis indigestaque moles, sine spiritu Divino, eam ordinante et animante. Abhinc nova est orta Dogmatica, inprimis e scholâ Ernestianâ, quae magnam partem est Theologia N. Foederis, sed in se incerta et vacillans, vetera novaque commiscens, principio certo carens; in qua si vetera magis regnant, dicitur Supernaturalismus, sin nova (e principiis Kantianae philosophiae potissimum pendentia), Rationalismus. E principio certo novo hoc, hominis animum indigere religione, proficisci incepit Schleiermacher, quem vero hucusque nemo feliciter est secutus, nedum superavit.

Ab hac vero immutatione ne Romano-Catholici quidem

Dogmatici prorsus manserunt expertes, veluti Hermes, Staudenmayer, Möhler.

E schola Ernestiana prodierunt, qui etiam nunc multum docere nos possunt, maxime J C. DOEDERLEIN, *Institutio Theologi Christiani*, II vol. ed. 9 *Norimb.* 1797, et S. F. N. MORUS, *Epitome Theologiae Christ.* ed. 5 *Lips.* 1820; cui posteriori universe non dissimilis est H. MUNTINGHE, *Pars Theologiae Christ. Theoretica*, II vol. ed. 2 *Gron.* 1818. Ad Supranaturalistas hos etiam referendus, sed qui liberior est, J. C. F. STEUDEL, *Die Glaubenslehre der evangelisch-protestantischen Kirche*, *Tub.* 1834.

Dogmatica Rationalistarum, praeter Euangelium, fontem habet libellum KANTII, *Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft;* optime vero explicatur a J. A. L. WEGSCHEIDER, *Institutiones theol. Christ. dogmaticae*, ed. 8 *Halae* 1844. Suum tuetur locum, eumque inter Supranaturalistas et Rationalistas medium J. H. REGENBOGEN, *Christelijke Godgeleerdheid naar de behoefte van dezen tijd*, *Workum* 1811. Locum magis etiam privum, partim inter disputantes Theologos, partim supra hos, occupat K. HASE, *Lehrbuch der evang. Dogmatik*, ed. 3 *Leipz.* 1842.

Hic vero aliique recentiores multum profecerunt e F. SCHLEIERMACHER, qui a. 1799 primum edito libello, *Ueber die Religion, Reden an die Gebildeten unter ihren Verächtern*, religionis sedem ostendit esse intimum hominis sensum, theologiaeque fundamentum posuit hunc hominis sensum sive animum, religione indigentem. Theologiae vero Christianae argumentum explicuit sic, opere, *Der christliche Glaube nach den Grundsäzen den evang. Kirche*, II vol. ed. 2 *Berl.* 1830, ut principium sequatur certum, formale ac materiale. Formale hoc, Dogmaticam esse expositionem doctam fidei Christianae, a Deo in homine operatae, in familia quadam Ecclesiae Christianae certo quodam tempore regnantis; unde Dogmaticam retulit inter doctrinas historicas, sed philosophice explicitas; materiale hoc, rem

in religione Christiana praecipuam esse nostram per Jesum Christum liberationem; unde doctrinae Christianae dogmaticae materiam inprimis refert ad oppositionem *peccati*, genus humanum a Deo avertentis, et *gratiae*, humanum genus, Christi sanctitate communicandâ, ad Deum reducentis.

Schleiermacherum secuti omnem Ecclesiae Reformatae dogmaticam exposuerunt A. SCHWEIZER, *Die Glaubenslehre der evang. reform. Kirche*, T. II, *Zürich* 1844—1847, ejusdemque principia J. H. SCHOLTEN, *De leer der Hervormde Kerk in hare grondbeginselen*, T. II, *Leid.* 2 ed. 1850.

Quod nos putamus aetatis nostrae in re dogmatica officium, ei satisfacere conamur, edendo *Brevi conspectu Dogmatices et Apologetices Christianae*, *Gron.* 1848 ed. 3.

Romano-Catholicorum Dogmaticam ornatius exponere conatus est J. A. MÖHLER, *Symbolik oder Darstellung der dogmatische Gegensätze der Katholiken und Protestanten*, 4 ed. *Mainz* 1835.

Historiam Dogmatices usque ad finem saeculi XVII praeter alios tradit A. YPEIJ, *Beknopte Geschiedenis der systematische Godgeleerdheid*, T. III. *Haarl.* 1793—1798.

§ 102.

Quid ex hac historia sit derivandum.

Docet haec historia, Dogmaticae, quae in solâ Ecclesiâ Christianâ, solâ veri principio animatâ, vere adesse potest, omni tempore operam dedisse Theologos; neque tamen horum conamina hucusque satis feliciter successisse. Cujus rei causa praecipua cernitur in ingenii humani tarditate et pigritia, quae verum aliquid *sumere* mavult, quam verum *inquirere*, atque saepe recusat id rejicere, quod esse verum diu sumsit; unde derivandum, quod Dogmaticam praeposuerint Christiani plerumque potius theologicis disquisitionibus quam postposuerint. Qua in re idem cernitur Theologorum error, qui est

Philosophorum in tractanda Metaphysica, quae inquisitionum philosopharum est quasi Dogmatica.

Cf. VAN HEUSDE, *Socratische School*, T. IV.

Inprimis etiam liquet, Theologos commiscuisse Dogmaticam philosopham (Theologiam naturalem) et Christianam, multaque, quae ad illam pertinent, in hanc traxisse, unde etiam ordo solebat esse perversus.

V. c. *Deus* et *homo* in Dogmatica tractabantur, sed non e Jesu Christo, verum e natura et Sacra Scriptura; quia nempe de *Deo* et *homine* prius agebatur, quam de Jesu Christo.

B. *Quid doceat rei natura.*

§ 103.

Num sufficiat nostro aevo doctrina Jesu et Apostolorum.

Partim jam ex historia apparebat, quod rei natura luculenter explicat, Dogmaticam nostro aevo convenientem non posse inveniri in Jesu Christi et Apostolorum doctrina, quippe continente modo ideas dogmaticas, easque isti aevo accommodate propositas. Nec tamen quisquam negabit, has ideas accurate esse investigandas, atque Jesu et Apostolorum singulorum doctrinam esse necessariam praeparationem Dogmatices nostrae.

Quum superiore saeculo tale quid sentire inciperent Theologi, scripserunt *theologias Biblicas;* quae quum non sufficerent, ediderunt *theologias Novi Foederis;* quarum loco nunc merito veniunt *theologia* sive potius *doctrina Pauli* (Usteri, Neander), *doctrina Jacobi* (Neander), *doctrina Johannis* (Holm, Frommann, Köstlin), *doctrina Petri* (Poelman). Nondum exstat laudandum *doctrinae Jesu* ipsius exponendae conamen. — Multa de his rebus conjunctim habet DE WETTE, *Lehrbuch der Dogmatik;* nec paucae etiam symbolae inveniuntur in opere periodico, *Waarheid in Liefde.* De discrimine vero Theogiae Biblicae et Dogmatices egit J. WITKOP, *W. in L.*, 1851, I.

§ 104.

Num huic aevo sufficiat Theologia antiquior Ecclesiae.

Nec nostro satisfacit desiderio Theologia Justini Martyris, Augustini, Johannis Damasceni, Anselmi, Calvini, Schleiermacheri; nam praemissae disquisitiones, e quibus, tanquam materia, sequi debet Dogmatica, tanquam conclusio, sensim longe ulterius sunt progressae, ideoque conclusio nunc saepe prorsus alia est.

Cf. v. c. Augustinum de poenitentiâ, Anselmum de satisfactione, Calvinum de Jesu morte, Schleiermacherum de dependentiae sensu disserentes.

§ 105.

Num Dogmatica nostra sufficere possit aevo futuro.

Ob eandem vero rationem neque nos condere possumus Dogmaticam posteris satisfacturam; nam omnino Dogmatica esse non poterit unquam stabilis et eadem. Semper enim progredientur in Ecclesiâ, Jesu Christi vivi spiritu animatâ, singulae istae theologicae disciplinae, quarum ideas ex vero aestimat Dogmatica (§ 98).

Ergo vel Ecclesiae totius, vel alicujus familiae Ecclesiasticae Dogmaticam absolutam conficere nemo potest; aut sui temporis aut suo solius discipulorumque nonnullorum tantum desiderio satisfacere potest Dogmaticus optimus. Hinc systematum dogmaticorum numerus olim fuit et jam est eritque semper infinitus.

Objici possit, Theologum tamen, quatenus suae addictus est Ecclesiae familiae, hujus familiae docere debere Dogmaticam. Et sane cum Theologus libere sese huic illive familiae addicat, principiis Christianis, in ea regnantibus, et ipse ducetur. Vel sic tamen observandum, Dogmaticam ipsam hanc in nulla Ecclesia Christiana posse esse certam et stabilem, neque etiam velle aliquam Ecclesiam, ut talis sit. Omnes enim Ecclesiae Christianae credunt, Jesum Christum regere suum et magis magisque proficere gregem. Igitur v. c. Eccle-

siae Nederlandicae Christianae Reformatae, quae adest, regimen, ritus, doctrina sese historice evolverunt, prouti nunc se habent; nec tamen necesse est, ut in eâdem hac manéant conditione. Etenim Ecclesiae familia haec est, uti quaevis alia, *Christiana*, quae Christum veneratur vivum, ideoque etiam Euangelium agnoscit unam veri normam, idque Euangelium e Christi vivi patefactione continua sensim melius intellectum, igiturque ut socios singulos, sic omnes conjunctim sive se ipsa secundum Euangelium, e Christi vivi spiritu sensim melius a se intellectum, sensim magis purgat et perficit semper. Cf. § 85, ULLMANN, *Vorwort zum dritten Jahrzehent der theol. Stud. u. Krit.*, 1847, I, p. 53 sqq.

§ 106.

Quid in Dogmatica semper sit idem.

Attamen prorsus nova et incerta semper esse nequit, quum unius ejusdemque rei sit aestimatio, unde semper etiam nominatur Dogmatica *Christiana*. Quaerenti jam tibi, quid vero in eâ semper remaneat idem? respondet nomen ipsum, remanere *Jesum Christum*. Hinc incepit Jesus ipse; hinc Apostoli, hinc Apologetae, hinc Concilia, hinc dilucidius obscuriusve Dogmatici inceperunt plerique. Quod ipsa rei natura confirmat; nam philosophiam Socratis, Platonis, Ciceronis incipimus contemplari a personâ Socratis, Platonis, Ciceronis, religionem Mosis, Zoroastris, Mohammedis a personâ Mosis, Zoroastris, Mohammedis: ergo vel hanc ob causam doctrinam et religionem Jesu Christi a persona Jesu Christi.

§ 107.

Dogmatica quid in Jesu Christo spectet.

In Jesu Christo, doctrinae Christianae argumento, spectat Dogmatica longe plura, quam v. c. in Mose, Zoroastre, Mohammede religio, quae ab his nomen habet. Est enim Jesus primarium religionis Christianae argumentum. Quare spectat Dogmatica ejus personam

et apparitionem in terris ante saecula XVIII (ex interpretatione N. Foederis), sed hanc cohaerentem cum antecedentibus (ex historiâ generis humani, inprimis V. Foederis) et subsequentibus (ex historiâ Ecclesiae), ejusque vim in Christianis innovandis (ex institutione morali), et hanc vim in iis innovandis hominum ope perficiendam (e theologia practica); ut his omnibus adhibitis qualis quantusque sit Jesus Christus constet, e comparatione ipsius cum reliquis hominibus magnis omnibus, ac qualis quantaque ejus vis in genere humano, e comparatione Ecclesiae Christianae cum reliquis societatibus, quae unquam fuerunt, omnibus.

Protestantium Ecclesiae in re dogmatica solent subsistere in Jesu ex N. F. cognoscendo, vel et in N. Foederis verbis de religione Christiana; Romano-Catholica Ecclesia minus honorat Jesum ipsum Dogmatices argumentum, quam Ecclesiam, quae ipsi mater est, sine qua ad Deum Patrem pervenire nemo possit.

§ 108.

Haec quonam spectet consilio.

Spectat haec omnia Dogmatica, ut ea aestimet ex vero, quatenus inquirendo et meditando reperire id licet homini. Quum vero *religio* sit, quam optimam in genere humano fundare voluerit Christus, rogandum jam est Dogmaticae, *quid* in *religione* Christiana sit verum, *quare* id verum, num evidenter perspici possit, *totam hanc religionem* esse verissimam? Religionis vero objectum est Deus, subjectum homo, copula hominis cum Deo conjunctio sive hominis ad Dei similitudinem consequendam institutio. In qua religionis naturâ aestimandâ de objecto et subjecto nunquam fuit dubium; sed copulam non semper bene intellexerunt homines.

Copulam alii posuerunt in ritibus observandis, alii in orthodoxia tuenda, alii in fide fovenda.

§ 109.

Dogmaticae distributio.

Incipere debet Dogmatica Christiana a Jesu Christo, qui est perfectissima Dei patefactio, reliquam vero Dei patefactionem, in rerum naturâ et generis humani historiâ conspicuam, non destruit, sed explicat et perficit.

Porro e Jesu Christo, Dei imagine, quae hominibus saltem est conspicua, perfectissimâ, cognoscatur Deus; et ex eodem, hominis typo, cognoscatur homo, quatenus hic naturam habet, quae potest Christo fieri similis, quatenus est destinatus, qui Christo fiat similis, quatenus versatur in conditione, quae Christo non est similis.

Denique monstranda est via, qua similitudo haec acquiri possit per Jesum Christum et a singulis hominibus et a coetibus universis.

Erunt ergo quatuor Dogmatices partes, Christologia, Theologia, Anthropologia, Soteriologia.

Dogmatica, quae non sequitur ordinem Symboli Apostolici, vulgo dividitur in Theologiam, Anthropologiam, Soteriologiam, Eschatologiam. Nos Eschatologiam in Soteriologia tractandam putamus, et his partibus praeponendam Christologiam, ne totum fundamento Christiano careat aedificium.

Non necessarium est, ut in scholis Academicis tanquam disciplina separata tractetur vel *Symbolica*, i. e. aestimatio doctrinae publicae singularum Ecclesiae familiarum, vel *Polemica*, i. e. refutatio errorum, in eâ doctrinâ obviorum, vel *Irenica*, i. e. studium doctrinarum diversarum conciliandarum. Harum enim disciplinarum, quae interdum separatae recensentur et exponuntur, officio peragendo suus per se in rectâ Dogmaticâ ubivis erit locus.

§ 110.

Dogmatica quomodo in scholis Academicis sit tractanda.

Ita tractanda est in scholis Dogmatica, ut Discipuli eam derivent ipsi e praemissis (§ 107), inprimis ex N.

Foederis interpretatione et Ecclesiae historiâ ac theologiâ naturali. Ergo Discipuli sic, duce Magistro, in scholis interpretentur N. Foedus, ut videant, dicant, exponant ipsi, qualem hîc et illic se patefaciat Christus Deumque et hominem in se, quid in Christo patefaciat Deus, quaenam de hac patefactione sit doctrina Jesu Christi, Pauli, Johannis. Quae autem sic ipsi invenerunt, haec jam comparent cum sententiâ de re eâdem, quam deinde docuit Ecclesia et exhibet theologia naturalis, ut, quid sit verum, et quare verum habendum inde eliciant ipsi. Simili ratione Doctor Discipulis narret iisque dijudicandam proponat Ecclesiae historiam et cum iis in theologiam naturalem inquirat.

Neque modo illae scholae exegeticae, historicae, philosophae ita erant habendae (§ 41, 54, 100); verum etiam in scholis dogmaticis frequenter recurrendum est ad eas res, quae ibi erant expositae. Nempe ex iis praemissis jam ipsi Discipuli conclusiones ducere debent, etsi adjuti a Doctore, qui ipsorum lucubrationes regat, emendet, perficiat. Nam ut Dogmatica non potest esse totius Ecclesiae, ita neque a Doctore Discipulis tradi potest, sed a Theologis singulis suo Marte confici debet.

SECTIO II.

DE TOTIUS REI CHRISTIANAE COMMENDATIONE, SIVE DE APOLOGETICA.

I. *Institutio praevia.*

§ 111.

Institutio Apologetae praevia, formalis.

Qui religionem Christianam propter indolem ejus praeclaram et salutiferam, qua ab omni parte est dignissima, quae a genere humano penitus recipiatur, omnibus vult commendare, quod est Apologetae officium (§ 98), huic officio deërit, nisi recte sit praeparatus. Praeparatio vero formalis constat maxime:

1) *Studio veri bonique* quaquaversum propagandi;

2) *Amore generis humani*, ut illud vero bonoque gaudeat ac beatum sit.

§ 112.

Institutio Apologetae praevia, materialis.

Idem vero praeparatione materiali carere nequit. Quae constat inprimis:

1) *Cognitione hominum gentiumque, religione Christianâ carentium.* Horum cognita sit religio praecipua quaevis, hujusque cujusvis auctorum sit notitia, librorum Sacrorum, cultûs moralis et religiosi, institutionis popularis, curae pastoralis, quatenus nempe haec posteriora aut adsunt, aut desunt;

2) *Cognitione hominum gentiumque, hac religione gaudentium*, quae ex omnibus antecedentibus sponte Theologo Christiano adest. Specialiter autem, ut probabilis sit Apologeta, observasse debet, qualis quantusque sit Jesus Christus, et quam salutifera generi humano Ecclesia, quam condidit, jam fuerit et magis etiam fieri possit.

II. *Institutio absoluta.*

A. *Quid doceat Apologetices historia.*

§ 113.

Quam diverso modo hucusque tractata sit Apologetica.

Si Ecclesiae historiam percurrimus, videmus inprimis triplici modo tractatam esse Apologeticam.

1) *Apologia Jesu Christi* primum invenitur, cum apud Jesum ipsum, tum etiam apud Apostolos. Ob veram Jesu humanitatem, beneficentiam summam, puram sanctitatem, perfectionem Divinam tam Jesus ipse, quam ejus opus hominibus commendabantur.

2) Porro invenitur *Apologia Ecclesiae*, quae quatuor primis saeculis regnavit. Nam Paulus, reliquis Apostolis doctior, non modo Euangelium praestantius esse docuit antecedentibus rebus omnibus, specialiter lege Mosaicâ; sed etiam Ecclesiam ostendit esse institutum unice adaptatum consiliis Divinis in genere humano exsequendis. Rem simili modo aggressi sunt et provexerunt docti Ecclesiae Patres, cum contra Judaeos, tum inprimis contra Gentiles Ecclesiam Christianam defendentes eamque iis commendantes. In his sunt Justinus, Origenes, Tertullianus, Cyrillus, Augustinus, maxime Auctor Epistolae ad Diognetum, qui omnes ostendunt inanem

esse Paganismum, non sufficere Judaïsmum, perfectam esse unam Ecclesiam Christianam. — Medio aevo vix fuit rei Christianae apologia, sed potius *apologia doctrinae ecclesiasticae*, contra Judaeos, contra Mohammedanos, contra Deistas, quae parum profuit, quippe *doctrinae ecclesiasticae* apologia.

3) Renascentibus literis Marsilius Ficinus, Ludovicus Vives, Hugo Grotius, viri literati, melius quid praestiterunt *ipsâ religione Christianâ defendendâ et commendandâ.* Item Pascal, qui rem Christianam in medio posuit homine et in media generis humani historia; porro Lardner et Chateaubriand, quorum ille tamen magis oppugnavit Deistas, hic commendavit Ecclesiam Catholicam. Denique omnem rem Christianam amplexi sunt Philosophi, Leibnitz, qui testimonium veritatis invenit in nobis ipsis, Schelling, qui historiae generis humani centrum vidit in Jesu Christo; Theologi Reinhard, Schleiermacher, Ullmann, qui Ecclesiae commendant auctorem, *et* a consilii praestantiâ, *et* a liberatione, quam effecit, unicâ, *et* a sanctitate perfectâ.

HUGONIS GROTII libellus *de veritate religionis Christianae* saepissime est editus, ac cum PASCALII opere non absoluto, *Pensées* inscripto, etiam nunc lectu est dignissimus. Operis, a CHATEAUBRIAND scripti, *Génie du Christianisme*, exstat editio Nederlandica, lectoribus Euangelicis eximie adaptata, quam curavit N. G. VAN KAMPEN, *Schoonheden des Christendoms*, II vol. ed. 2 *Amst.* 1831. REINHARDI opusculum, jam citavimus p. 59. SCHLEIERMACHER suam de his rebus sententiam inprimis exposuit in opere dogmatico, *Der christl. Glaube;* ULLMANN maxime in dissertatione, *Ueber die Sündlosigkeit Jesu*, ed. 5 *Hamb.* 1845, tum et in disputatione, cui Nederlandicae versae inscriptio est: *Over het wezen des Christendoms.* — Omnem Apologeticam complexus est H. SACK, *Christl. Apologetik*, ed. 2 *Hamb.* 1841, ac populariter C. H. STIRM, cujus liber Nederlandice redditus inscribitur: *Verdediging*

des Christendoms, of beloog voor deszelfs waarheid en goddelijkheid; in brieven voor beschaafde lezers, II vol. *Gron.* 1838, 2 ed. 1848, 1849; operis autem hujus conspectum et supplementum vide in *Waarheid in Liefde*, 1842, I et III. — Qualem nos Apologeticam velimus, exemplo docuimus *Brevis conspectûs*, ad § 101 citati.

Historiam Apologetices enarrare inceperunt H. G. TZSCHIRNER, *Gesch. der Apologetik*, cujus vero libri Tomus I modo prodiit, *Leipz.* 1805; G. H. VAN SENDEN, *Verdediging van Bijbel en Openbaring*, cujus operis exstant hucusque II vol., *Gron.* 1827 et deinceps; A. THOLUCK, in *Vermischte Schriften*, T. I, p. 149—376. De societate Hagana apologetica cf. H. J. ROIJAARDS, *Het Genootschap tot verdediging van de Christl. godsdienst geschiedkundig geschetst*, *'s Grav.* 1836.

§ 114.

Quid ex hac historia sit derivandum.

Facile videmus, Antiquos rem totam eamque Divinam, melius altiusque perspexisse, Recentiores et Aequales nostros ad partes nonnullas respexisse idque valde laudabili modo.

B. *Quid doceat rei natura.*

§ 115.

Apologeticae natura et officium.

Apologeticam esse debere rei Christianae commendationem, jam vidimus § 90, 91. Commendatio autem haec inniti debet rei hujus veritate historicâ ac salubri indole. Longe plus igitur complectitur, quam rei Christianae defensionem, quae modo est pars, eaque minus nobilis, Apologeticae. Haec commendare debet illa omnia, quae hucusque tractavimus.

§ 116.

Partium, quibus constat Apologetica, prima, quae est commendatio Jesu Christi.

Primum igitur commendet Jesum Christum, maxime a perfectione, quam ostendit olim et ostendere pergit,

spirituali. Quod ut rite fiat, Euangeliorum, unde Jesum cognovimus, integritas, authentia, fides historica est inquirenda et ostendenda. Item Epistolarum Apostolicarum, quatenus hae ad Jesum cognoscendum faciunt; denique etiam librorum V. Foederis, quatenus hi huc pertinere possunt, ac pariter historicorum praecipuorum, qui Ecclesiae Christianae res enarrarunt.

Fidei historicae inquirendae pars sit theopneustia, quae proprie non adscribenda est *libris*, sed *scriptoribus*, et ab Ecclesia antiqua rectius est intellecta, quam a recentiore.

> Postquam Protestantes, ut auctoritati, quam sibi sumit Ecclesia Romano-Catholica, aliquid opponerent externe certum, *Biblia* posuerunt *Verbi Divini* et *Euangelii* loco, Lilienthal, Köppen, alii bene multi operam sibi sumserunt perficiendam (omnium Codicis Sacri partium defendendarum, ac si hae nihil contineant, nisi quod nobis Christianis necessarium, verissimum, probandum et Divinum sit), quae nec perfici potest, nec necessaria est.

§ 117.

Altera, quae est commendatio Ecclesiae.

Porro commendet Ecclesiam Christianam ab effectu generi humano maxime salutari. Qua in re effectus salutaris non absolute est spectandus, sed comparate cum effectu, quam aliae habuerunt Ecclesiae non Christianae; itemque observandum, hunc effectum sensim factum esse et etiam nunc fieri magis salutarem, quum haec sit Ecclesiae Christianae indoles, ut nunquam in conditione bona, quam occupavit, subsistat, sed semper ad meliorem acquirendam progrediatur; praeterea, quae mala effecit aut sivit Ecclesia, haec non esse originis Christianae, sed ex elementis peregrinis in eâ residuis; quae vero bona, haec a Christo esse repetenda; denique parvam modo Ecclesiae vim cerni posse in his terris, comparatam cum longe majore et infinita ejus ad homines beandos vi, quam in coelis experiemur.

Respice, quam vim habuerit Ecclesia in Graecis et Romanis emendandis et inprimis in Germanis excolendis, quamque nunc in insularum maris Australis incolis rudibus informandis habere incipiat.

§ 118.

Tertia, quae est commendatio vitae Christiani hominis spiritualis.

Commendet Apologetica etiam vitam hominis Christiani spiritualem, quae ad similitudinem cum Deo in dies majorem revera adducit homines singulos totiusque generis humani societatem. Hujus vitae praestantia intelligetur clarius cum ex comparatione cum ideis sapientum perfectorum et rerumpublicarum perfectarum, quas Antiqui proposuerunt; tum ex ipsis hujus vitae exemplis, qualia cernuntur in Chrysostomo, Augustino, Bernhardo, Thoma a Kempis, Wesselo Gansfortio, Luthero, Borromeo, Fenelone, Bekkero, Spenero, Frankio, Oberlino, Wilberforcio.

§ 119.

Quarta, quae est commendatio curae generis humani.

Commendet item Apologetica hanc Christianorum vitam, qua non sibi modo habet quisque vitam eam spiritualem, sed hanc cum omnibus hominibus totoque genere humano communicare studet ac revera communicat, ita persequens id, quod ne auguratus quidem est quisquam ex Antiquis, sed demum incepit Jesus Christus. Quod studium in iisdem illis cernitur hominibus.

§ 120.

Quinta, quae est commendatio veri in re Christiana regnantis.

Denique commendet hanc egregiam religionis nostrae praestantiam, qua vult, ut tota quanta aestimetur ex vero; ita ut nihil debeat audeatve homo Christianus

retinere credendum agendumve, nisi quod verum bonumque esse aut perspiciat ipse aut perspicere possit magis magisque. Quae rei Christianae praestantia quanta sit, intelligitur ex comparatione cum Ecclesiis reliquis omnibus, quibus aut nulla est Dogmatica, aut si est, haec nititur auctoritate sapientum antiquorum, non item accuratâ veri inquisitione.

§ 121.

Apologetica quomodo in scholis Academicis sit tractanda.

In Academia versans hanc rei Christianae commendationem discere debet Theologus futurus ex singulis, quae tractantur, Theologiae partibus, quas ita tractare debet Doctor, ut rei Christianae totius indoles Divina, cum in praestantiâ spirituali, tum in studio generis humani totius beandi conspicua appareat. Nec minus etiam haec appareat, oportet, ex ipsâ totâque Doctoris vitâ et agendi ratione, ut, ipse quatenus potest Christum sequens, Christi sequendi in gregibus, quibus Discipuli praeerunt deinde, his exemplum sit eoque ipsa Christi imitationem excitet in omnibus.

CONCLUSIO.

§ 122.

Theologus Christianus.

Quum ad finem hujus Encyclopaediae pervenerimus, age jam, quem illâ tractandâ informare et cui ad consilium, quo tendit, assequendum viam monstrare conati sumus, *Theologum Christianum*, uno obtutu nobis ob oculos ponamus conspiciendum.

Non erit perfectus animo, mente, voluntate, vita, ac quasi Deus inter homines versans. Labetur haud raro sensûs vitio, mentis errore, voluntatis inconstantia, vitae periculis, seque ostendet hominem, cui nihil humani erit alienum. Sed erit *Christianus*, Jesu Christi spiritu animatus, vitae consuetudine, animi amore, mentis intelligentiâ totus quantus Jesu Christo addictus et Jesum Christum sequens, etsi hic illic errans ac labens. Erit *Theologus*, qui, quamvis alias doctrinas aliis teneat melius, eas omnes aliquatenus tenet et omnium doctrinarum usu eo pervenit, ut objective Jesum Christum penitus noverit, subjective hunc animo foveat aliisque annunciare sciat, hunc hujusque Ecclesiam Deique consilium per hunc Dei Filium tanquam religionis et verissimae et praestantissimae fundamentum ac causam explicare, vindicare, commendare possit. Erit denique cum in Academia versans, tum gregis pastor, indies *melior Christianus* ac *melior Theologus*, ita se ipse purgans ac perficiens, atque ita doctrinarum ope scientiam et sapientiam augens, ut sublimi, cui se dicavit, muneri gerendo aptior evadat continuo crescatque ad virum in Jesu Christo perfectum, qui aliorum esse pos-

sit dux ex magister, ex quo sancta Jesu Christi vita, in ipso abundans, profluat in Ecclesiam ad socios semper plures, quos animet et beatos reddat germanus ille Jesu Christi minister.

Ad tales informandos Theologos Christianos tendit atque aliquid afferat Encyclopaedia haec!